AUTHOR:

STIETZEL, WALTER

TITLE:

DE SYNECDOCHA EIUSQUE IN MARTIALIS...

PLACE:

BORNENSIS

DATE:

1907

Master Negative #

93-81405-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Stietzel, Walter, 1872-
De synecdocha eivsqve in Martialis Epigrammatis vsv, dissertatio...quam scripsit...Walter Stietzel ... Typis Roberti Noske, Bornensis, 1907.
80 p. 22½ cm.

Thesis. Jena.
Vol. of theses.

393811

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/12/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

no. 4

DE SYNECDOCHA EIVSQVE IN MARTIALIS EPIGRAMMATIS VSV

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

WALTER STIETZEL

MAGDEBURGENSIS

TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS

MCMVII

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

Jena, den 13. Juli 1907.

Professor Dr. Pierstorff,
d. zt. Dekan.

Cap. I.

§ 1.

Qua ratione praecepta rhetorum cohaereant cum ipsis libris, quos antiqui reliquerunt, his demum temporibus docti subtiliter disseruerunt. Quam quaestionem tractare operae pretium esse haud facile quisquam negabit, qui cogitet artem rhetoricam, ut ita dicamus, dominam ac reginam inter ceteras adeo floruisse apud antiquos, ut quaecunque legerunt vel didicerunt vel meditati sunt ad illam referrent. Etenim fieri non potuit, quin illa, cum tantopere inter ceteras disciplinas emineret, magnam vim cum ad orationem cuiusvis generis, tum ad poësim haberet. Quam ob rem pauci fuerunt non solum inter Graecos, sed etiam Romanos ut rerum scriptores ita poëtae, qui neque rhetorum disciplina imbuerentur neque instituerentur forensi usu.[1])

Sed si quis hunc vel illum poëtam elegerit, cuius tropos vel omnes vel singulos excutiat, facile intelleget disputationem suam idoneo fundamento carere. Nam etsi permulti viri docti et antiquorum temporum et recentioris aetatis de tropis disseruerunt, tamen neque in numero

[1]) Cfr. Norden, Die antike Kunstprosa, Leipzig 1898, vol. I pg. 9: Die Rhetorik konnte bei der zentralen Stellung, die sie im antiken Denken und Handeln einnahm, nicht beschränkt bleiben auf die eigentlich gesprochene Rede, sondern mit Notwendigkeit erstreckte sie im Laufe der Zeit ihren Einfluß auf alle Literaturgattungen, auch auf die Poesie. Vide praeterea vol. II pg. 883.

eorum nec „quis cuique subiciatur" consentiunt.[1]) Quam difficultatem ut tollant, facere non possunt grammatici, quin in tropos diligenter ac subtiliter inquirant. Quod praeter ceteros fecit E. Lindskog commentatione academica quae inscribitur „studia in scriptorum Latinorum tropos", qua ostendit, quales essent tropi metaphora, metonymia, synecdocha, qui principem inter tropos locum obtinent, et quas in partes metonymiam et synecdocham dividi velit.[2]) Qua disputatione nixi in animo habemus usum synecdochae qualis exstet in carminibus Martialis illustrare, praesertim cum videamus in Friedlaenderi editione magis res historicas quam grammaticas esse expositas.

§ 2.

Priusquam ad huius poëtae carminum synecdocham accuratius exponendam accedamus, de eius vi ac natura uberius disputemus. De qua recte iudicare propterea aliquid negotii exhibet, quod quomodo a metonymia distinguatur haud facile dicas.[3]) Itaque ab ipsa definitione proficiscatur haec disputatio. Cuius notio ab auctore ad Herennium[4]) sic definitur: *denominatio*[5]) *est, quae ab rebus*

[1]) Nota sunt illa Quintiliani (inst. orat. VIII 6, 1): circa tropum inexplicabilem et grammaticis inter ipsos et philosophis pugna est, quae sint genera, quae species, qui numerus, quis cuique subiciatur.

[2]) In rationem Erici Lindskog invehitur H. Bluemner (Berliner philologische Wochenschrift 1904 pg. 502), cum dicit non satis fructus ex illius libro redundare in troporum disciplinam. Cui assentiri non possumus; immo vero laudem impertire debemus illi viro docto ex Suecis oriundo, quod novam viam ingressus primus fere operam dedit, ut naturam ac vim troporum subtilius exponeret.

[3]) Cfr. Nicolaus Sabat de synecdoche eiusque in Horati carminibus usu vi ac ratione (Stanislawow 1895) pg. 9; Moore, Servius on the Tropes and Figures of Vergil (Baltimore 1891) pg. 13; Quintil. VIII 6, 23: nec procul ab hoc genere (synecdoche) discedit metonymia.

[4]) IV 32, 43.

[5]) Sic ab eo metonymia appellatur.

propinquis et finitimis trahit orationem, qua possit intellegi res, quae non suo vocabulo sit appellata. Id aut ⟨ab⟩ inventor⟨e⟩ conficitur . . . aut invento, ut si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellet, aut instrumento dominum . . . aut id, quod fit, ab eo, qui facit — aut si, quod facit, ab eo, quod fit . . . ab eo, quod continet, id, quod continetur . . . denominabitur . . . ab eo, quod continetur ⟨id, quod continet⟩. Atque Cicero[1]): *immutata*, inquit, (sc. ea dico), *in quibus pro verbo proprio subicitur aliud, quod idem significet sumptum ex re aliqua consequenti. Quod quanquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, cum dixit Ennius: 'arce et urbe orba sum' pro patria, alio modo, 'horridam Africam terribili tremere tumultu' (cum dicit, pro Afris immutat Africam). Hanc ὑπαλλαγὴν rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis, μετωνυμίαν grammatici vocant, quod nomina transferuntur.* Idem alio loco[2]): *gravis est modus in ornatu orationis et saepe sumendus; ex quo genere haec sunt: Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellare pro vino, Neptunum pro mari, curiam pro senatu, campum pro comitiis, togam pro pace, arma ac tela pro bello.* Denique Quintilianus[3]): *nec procul*, inquit, *ab hoc genere discedit metonymia, quae est nominis pro nomine positio [cuius vis est pro eo, quod dicitur, causam, propter quam dicitur, ponere], sed, ut ait Cicero, hypallagen rhetores dicunt. Haec inventas ab inventore et subiectas res ab obtinentibus significat, ut 'Cererem corruptam undis', et 'receptus terra Neptunus classes aquilonibus arcet'.* Itaque in sex partes generaliter diviserunt metonymiam antiqui. Quae exstat, ubi intellegitur 1. per id quod continetur illud quod continet; 2. per id quod continet illud quod continetur; 3. per inventorem id quod inventum est; 4. per inventum subiectumve inventorem

[1]) Or. 27.

[2]) De orat. VII 42.

[3]) VIII 6, 23.

dominantemve; 5. per efficientem id quod efficitur; 6. per id quod efficitur illud quod efficit.[1])

Quibus ex veterum sententiis metonymiam exstare censuerunt docti recentioris aetatis ubicunque aut pro effectis efficientia ponimus aut contra cum ab his ad illa transgredimur effectumque causae vice substituimus. Qua ex ratione ea omnia ad hunc tropum referri non posse haud negandum est, ubi pro hominibus, qui flumen quoddam accolunt, id ipsum nominatur, velut a Martiale Nilus sumitur pro Alexandrinis vel Aegyptiis III 63, 5; XIV 115; Rhenus pro Chattis vel Germanis II 2, 3; V 37, 8; VIII 11, 1; IX 1, 3; 6, 1; Hister pro Sarmatis VIII 2, 2. Quo modo cum metonymia angustius pateat, naturam eius Lindskogium[2]) secuti accuratius definiamus necesse est. Ex iis autem, quae ad huius tropi apud Martialem usum illustrandum R. Fenger[3]) congessit et quae ipsi ex aliis poëtis excerpsimus, metonymiam fieri dicemus, si duae res inter se conferantur, quarum altera non irrumpat quasi in alterius fines, sed quodammodo extra illos ita vagetur, ut una re alteri sit finitima ac propinqua; unde nos quae ratio inter tropum notionemque propriam intercedat cogitantes quasi limitem transgredi perspicuum est.

Sed haec hactenus. Ad synecdocham transeamus. Quam in plurimas species dividit Pseudo-Plutarchus[4]), cuius de hoc tropo verba exempli causa commemorare liceat. Qui *συνεκδοχή*, inquit, *ἀπὸ τοῦ κυρίως σημαινομένου ἕτερόν τι τῶν ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος ὄντων παριστᾶσα*, deinde unam formam profert, *ἀπὸ τοῦ ὅλου τὸ μέρος* velut (Iliad. l. XII v. 137) *βόας αὔας*, id quod idem valeat atque *ἀπὸ τῶν βοῶν τὰς βύρσας, ἐξ ὧν ἀσπίδες, δηλοῦν βούλεται*, alteram

[1]) Quas quidem partes nominatim commemorant Charisius et Sacerdos.

[2]) L. s. s. pg. 4.

[3]) De metonymiae in epigrammatis Martialis usu (Jena 1906).

[4]) De vita et poësi Homeri II 22.

ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον, ut Od. I v. 343 *'τοίην δ' αὖ κεφαλὴν ποθέω', ἀπὸ γὰρ τῆς κεφαλῆς τὸν ἄνδρα σημαίνει*, tertiam *ἀπὸ ἑνὸς τὰ πολλά*, ut *ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσεν'* (Od. I, 2); neque enim solum Ulixem, sed hunc una cum ceteris Graecis Troiam diruisse constare; quartam *ἀπὸ τῶν πολλῶν τὸ ἕν, 'στήθεα θ' ἱμερόεντα* idem esse ac *τὸ στῆθος'* (Il. III v. 397); quintam *ἀπὸ εἴδους γένος*, velut (Il. XII v. 380) *'μαρμάρῳ ὀκρυόεντι βαλών'* quod eandem vim habeat ac lapide; sextam *ἀπὸ γένους τὸ εἶδος*, velut *'ὄρνιθας γνῶναι καὶ ἐναίσιμα μυθήσασθαι'* (Od. II v. 159); neque enim omnes aves hoc loco intellegendas esse, sed vaticinas; septimam *ἀπὸ τῶν παρεπομένων τὴν πρᾶξιν* (ut Il. II v. 827) *'Πάνδαρος, ᾧ καὶ τόξον Ἀπόλλων αὐτὸς ἔδωκεν'* (addit autem Pseudo-Plutarchus: *ἀπὸ γὰρ τοῦ τόξου τὴν περὶ τὸ τόξον ἐμπειρίαν δηλοῖ*), octavam *ἀπὸ τοῦ προηγουμένου τὸ ἀκόλουθον*, ut *'λῦσε δὲ παρθενικὴν ζώνην'* (Od. XI v. 245), *ἀκολουθεῖ γὰρ τούτῳ, τὸ 'διεκόρευσεν'*, nonam *ἀπὸ τοῦ ἀκολούθου τὸ προηγούμενον, ὡς ὅταν 'ἐναρίζειν' λέγῃ τὸ φονεύειν ἀντὶ τοῦ σκυλεύειν.*

Reliquorum autem rhetorum definitiones in duas partes dividi possunt, prout aut Tryphonem aut Cocondrium secuntur. Ille[1]) enim dicit: *συνεκδοχή ἐστι φράσις οὐ κατὰ τὸ πλῆρες ἐξηνεγμένη, προσδεομένη δέ τινος ἀκολουθίας*, hic[2]): *συνεκδοχή ἐστι λέξις ἢ φράσις ἀπὸ μέρους ὅλην διάνοιαν ἐμφαίνουσα ἢ διὰ τοῦ παντὸς τὸ μέρος.* Apud Tryphonem autem latius notionem synecdochae non disiunctae a figura *ἐλλείψεως* patere intellexit Lindskog,[3]) qui existimat illis temporibus nondum perspectum esse a grammaticis vim troporum pertinere ad notionem rei, non referri ad verba omissa.

Graecos autem secuti Romani idem quod Cocondrius praebent, velut dicit auctor ad Herennium[4]): intellectio

[1]) Spengel, Rhet. Graec. III pg. 195.

[2]) Ibid. III pg. 236.

[3]) L. s. s. pg. 8.

[4]) IV 33, 44.

— hoc nomen dat synecdochae — est, cum res tota parva de re cognoscitur aut de toto pars, exemplis autem allatis addit aut ab uno plura aut a pluribus unum.[1]) Apud Ciceronem[2]) autem haec exstant: cui (sc. metonymiae) sunt finitima illa minus ornata, sed tamen non ignoranda, cum intellegi volumus aliquid aut ex parte totum ... aut ex toto partem ... aut ex uno pluris. Et Quintilianus[3]) haec, inquit, (sc. synecdocha) variare sermonem potest, ut ex uno pluris intellegamus, parte totum, specie genus, praecedentibus sequentia, vel omnia haec contra, liberior poëtis quam oratoribus. Sic hunc tropum definiunt cum alii, tum Donatus,[4]) Charisius,[5]) Diomedes.[6]) Qui inter se consentiunt inprimis valere synecdocham ad res, quae magnitudine distant eamque exstare, ubicunque totum in partes aut genus universum in species certas dividatur. Sed cum nonnullis non satis perspicuum esset, num ratio inter eam rem, quae nominatur, et eam, quae cogitatur, ita intercederet, ut inter totum et partem, neque illi e contextu sermonis intellegerent, factum est, ut alii ad synecdocham referrent, quae metonymiae tribuenda essent,[7]) velut Pseudo-Plutarchus, in cuius tribus ad extremum allatis exemplis non synecdocham, sed metonymiam inesse manifestum est, et anonymus περὶ συνεκδοχῆς[8]) et anonymus περὶ ποιητικῶν τρόπων,[9]) a quibus species illorum troporum inter se confusae afferuntur, et Quintilianus, qui errore

---

[1]) Sic Fr. Marx nunc edidit; vgl. Lindskog pg. 9.
[2]) De or. l. III 42, 168.
[3]) VIII 6, 19.
[4]) Cfr. Keil IV p. 400.
[5]) Ibid. I pg. 274.
[6]) Ibid. I pg. 459.
[7]) Cfr. Straub de tropis et figuris (Wirceb. 1883) pg. 7.
[8]) Rhet. Graec. ed. Walz VIII pg. 691.
[9]) Spengel l. s. s. III pg. 209.

ductus synecdocham agnoscit, ubicunque ex praecedentibus sequentia intelleguntur.[1])

Ex iis igitur, quae exposuimus, elucet grammaticorum de synecdocha sententias nimis confusas esse. Cuius tropi vim ut melius cognoscamus, eandem viam ac Lindskog ingressi, qua ratione ille cum metonymia congruat, qua discrepet, summatim quaeramus.

Ac primum quidem poëtas, cum illos tropos usurpant, quodam consilio duci elucet. Volunt enim efficere, ut aliquid oratione magis efferatur. Idem autem, ubi incitatius feruntur, non temere ac fortuito verbis utuntur, sed hac ratione ea eligunt, ut ex his facillime mens legentis vel audientis ad eas res traducatur, quae illis significantur. E quibus apparet et verbum proprium, quod nominatim effertur, et verbum translatum, quod cogitatur, inter se quodam vicinitatis vinculo conexa esse. Nanciscimur autem synecdocham et metonymiam, ubicumque res communitate quadam inter se cohaerent.

Sed illa praecipue in partitione posita est. Id quidem ex hoc exemplo, quod e Martiale proferimus, apparet:

Protinus hunc primae quaeres in limine Tectae.[2])

Initio enim nostris animis nihil aliud observatur nisi limen; deinde indoles quaedam menti humanae insita et innata atque ea quae sequitur sententia:

Quos tenuit Daphnis, nunc tenet ille lares

nos adducunt, ut animis totam domum concipientes pro ea limen exstare intellegamus. Pars igitur hoc loco posita est pro toto. Atque ut ibi illa eminet ex una eademque re, ita e multis inter se diversis rebus saepissime effertur certa norma adeo, ut rerum nexu paulatim cognito ad vim et circuitum illarum quam maxime pertineat,

---

[1]) Cfr. Gerber, Die Sprache als Kunst² (Berlin 1884) vol. II pg. 62; nam praecedens aliqua ex parte causa sequentis est.
[2]) III 5, 5.

velut apud Martialem e forma, quae orbis terrarum, mensae, speculi propria est et communis, illae ipsae res nomen orbis capiunt.[1]) Qua de causa iam, quae ratio inter illos tropos de quibus quaestio est intercedat, facile perspici potest. Nam per metonymiam duo verba inter se conferuntur, quarum notiones significant, si liceat nobis hoc modo eas proponere, duos inter se diversos circulos, qui uno puncto se attingunt. Per synecdocham vero denotatur altera res vel ea quae nominatur vel quae cogitatur uno circulo, cuius partem altera significat. Quo fit, ut haec dilucidior sit, metonymia autem illa 'perspicuitate amissa ad cogitandi potius vim pertineat rerumque immutatione facta τῇ φαντασίᾳ, ut Graece dicamus, summam afferat dulcedinem'.[2]) 'Proprium enim synecdochae est, quod a rebus propositis non disceditur, sed ab his ipsis tropus asciscitur, cum in metonymia significandi ratio petatur extrinsecus, ut aliud quiddam pro eo, quod est illustrandum, nominetur'[3]).

Cap. II.

§ 1.

Natura ac vis synecdochae qualis sit quoniam exposuimus, iam ad eius species transeamus.[4]) E quibus eam formam, quae in parte pro toto ponenda versetur aut contrarium in modum in toto pro parte, primum

---

[1]) VIII 78,6; IX 93,8; IX 101,20 aliis locis. — II 43,9; IX 22,5; IX 59,7; XIV 138; IX 17,5. —

[2]) Cfr. Handel de troporum apud Horatium usu (Brody 1896) pg. 36.

[3]) Lindskog l. s. l. pg. 4.

[4]) Straub l. s. s. pg. 7 sqq.; Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer² (Leipzig 1885) pg. 421 sqq.; Gross, Die Tropen und Figuren (Leipzig 1888) pg. 46 sqq; Braumüller, Über Tropen und Figuren in Vergils Aeneis (Berlin 1877) pg. 10.

locum obtinere docti censent, id quod etiam e nomine huic tropo dato colligi potest.

§ 2.

Alteram autem formam illi antiqui, quos supra commemoravimus, ubi pro uno plures ponantur aut pro pluribus unum, exstare putant. Atque Quintilianus, ut ea, quibus deceptus est, omittamus, addit tertiam synecdochae speciem, ubi intellegatur e specie genus vel contra. Ab his autem, ad quorum sententiam etiam docti huius aetatis accesserunt, Lindskog ita dissidet, ut alteram statuat, ubi qualitas pro re ponatur, tertiam, cum unum aut nonnulla collocentur pro omnibus, quae sub eandem rationem cadant. Sed priusquam ad illam transeamus, de hac paulo subtilius disputemus. Qualia illius quidem sententia sub hanc formam cadant cum ex aliis elucet, tum ex eis quae pg. 28 affert, ex quibus pauca liceat mihi commemorare, velut hoc ex Horatio (epist. II 2,72 sqq.) repetitum:

Festinat calidus mulis gerulisque redemptor,
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum,
Tristia robustis luctantur funera plaustris,
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus.

Quibus verbis homines in Romae viis confluentes fluctuantesque ac cum bestiis concurrentes a poëta ante oculos ponuntur. — Sed ut dilucidior fiat Lindskogii sententia, alterum addatur exemplum (Hor. ep. I 7,26 sqq.):

Forte latus, nigros angusta fronte capillos,
Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum et
Inter vina fugam Cinarae maerere protervae,

quibus poeta omnes eas voluptates similibus omissis comprehendit, quas cum aetate vigebat exhausit. Adicias porro carm II 16,33 sqq., quibus Grosphi cuiusdam bona quae ad cultum et affluentiam vitae pertinent enumerantur:

Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
Murice tinctae . . .
Vestiunt lanae.

Quare haec et alia eiusmodi per synecdocham dicta esse velit ille vir doctus, cognoscimus ex eius ipsius verbis.[1]) Etenim illa ad proprietatem quandam poëtarum referenda esse censet; quos solere enarrare ac describere ita, ut non omnia, sed praecipua, quae sub eandem rationem cadant, efferentes reliqua cogitatione sibi depingere legentes cogant. — Eiusmodi autem apud Martialem haec reperis (XII 8, 8 sqq.):

Parthorum proceres ducesque Serum,
Thraces, Sauromatae, Getae, Britanni

ubi pro imperii Romani hostibus cuiusvis generis afferuntur certi a poeta. 'Vos', inquit, 'nominis Romani hostes, nolite diutius insolescere; iam enim nacti sumus Caesarem iniuriarum vestrarum futurum vindicem[2]).' — Simile est hoc (VII 88, 3 sqq.):

Me legit omnis ibi senior iuvenisque puerque
Et coram tetrico casta puella viro

i. e. quoquoversus mea fama pervenit. Eadem ratione suavitas vitae rusticanae his versibus describitur (I 55, 7 sqq.):

Cui licet exuviis nemoris rurisque beato
Ante focum plenas explicuisse plagas
Et piscem tremula salientem ducere saeta
Flavaque de rubro promere mella cado?
Pinguis inaequales onerat cui vilica mensas
Et sua non emptus praeparat ova cinis?

---

[1]) Lindskog pg. 27 sqq.
[2]) Cfr. comm. Schrevelii.

Quae vero ad victum cultumque et beate vivendum necessaria sint, hi versus repraesentant (X 47, 15 sqq.):

Res non parta labore, sed relicta;
Non ingratus ager, focus perennis,
Lis nunquam; toga rara, mens quieta;
Vires ingenuae, salubre corpus;
Prudens simplicitas, pares amici,
Convictus facilis, sine arte mensa;
Nox non ebria, sed soluta curis,
Non tristis torus, et tamen pudicus;
Somnus, qui faciat breves tenebras;
Quod sis, esse velis nihilque malis;
Summum nec metuas diem nec optes.

Sed quomodo in omnibus illis exemplis tropus sit non videmus. Cuius vim ac naturam cum alibi, tum hic latius patere quam liceat Lindskog vult. Is enim, cum quid significaret verbum *συνεκδέχεσθαι* secum reputaret, illo errore implicitus videtur esse: neglexit autem ea, quae ut de hoc tropo, ita de omnibus docuerunt docti. Velut Trypho: *τρόπος ἐστίν*, inquit, *λόγος κατὰ παρατροπὴν τοῦ κυρίου λεγόμενος κατά τινα δήλωσιν κοσμιωτέραν ἢ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον.*[1]) Simili autem definitione utitur Gregorius Corinthiacus,[2]) qui *τρόπος ἐστίν*, inquit, *λέξεως φράσις ἐκ τῆς καθ' ἑαυτὴν ὁπωσοῦν ἰδιότητος μετατροπὴν εἰληφυῖα, διὸ καὶ τρόπος καλεῖται, παρείληπται δὲ ἤτοι χρείας ἕνεκα ἢ κόσμου περὶ τὴν φράσιν.* Ac Quintilianus eodem fere modo tropum definit ita, ut dicat eum 'esse verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutationem'.[3]) Meliorem autem definitionem profert Charisius, qui *tropus est dictio*, inquit, *translata a propria significatione ad non propriam per similitudinem necessitatis aut cultus gratia.*[4]) E

---

[1]) Spengel l. s. s. III pg. 191.
[2]) Ibid. pg. 215.
[3]) L. s. s. VIII 6, 1.
[4]) Keil, gramm. Lat. I pg. 272.

quibus elucet doctos constituere tropos, ubicunque rhetores aut poëtae verba vel sermonem per commutationem, sive ut oratio magis exprimatur, sive ut dilucidior fiat sententia, intellegi volunt. Qua vi et natura carent omnia ea, quae commemorat Lindskog. Illa enim, quae is alios[1]) secutus affert, non translate, sed proprie dicta sunt.

Quod est tam dilucidum, ut oculis cernere et paene manibus tangere videaris. Sed quae initio tertii suae disputationis capitis affert Lindskog talia sunt, ut in iis tropum inveniamus. Eiusmodi autem sunt, quale est illud Martialis (IV 75, 2):

Inter Latias gloria prima nurus

ubi *nurus* idem valent ac mulieres cuiusvis aetatis. Quod qua de causa translaticie dictum esse intellegamus, infra, ne ordo huius disputationis perturbetur, exponemus.

§ 3.

Sed Lindskog ad illum errorem quem supra notavimus idcirco delapsus videtur esse, quod sua ratione interpretatus est verba antiquorum ‚*ex uno plures vel ex pluribus unum*'. Quae quidem illi rettulerunt ad numerorum in poësi commutationem. Ac primum quidem ipsi commemorant pluralem modestiae.[2]) Quem Cicero sic illustrat:

Nos sumus Romani, qui fuimus ante Rudini.

In quibus color rhetoricus inesse videtur. Sed quanquam oratio plurali exprimitur, attamen tropus, quoniam imago desideratur, non exstat. Accuratius vero intuentibus id praecipue mirum videtur esse, quod non semel in uno carmine iuxta et singularis et pluralis apud poëtas inveni-

[1]) Cfr. Sabat pg. 19 sqq; Handel l. s. s. pg. 34.

[2]) Cic. de or. III 168; cfr. praeterea Quintil. VIII 6, 20; Herod. περὶ σχημ. (Rhet. Graec. 3, 88 Sp.); Pseudo-Plut. l. s. s. 2, 56; Plut. Praec. reip. ger. 20 D; Servius ad Vergil. Ae. 2, 89.

untur, quanquam sunt ad eundem referendi. Sic apud Martialem, ubi de se ipso dicit, legimus (IX 25, 1 sq.):

Dantem vina tuum quotiens aspeximus Hyllum,
Lumine nos, Afer, turbidiore notas.

sequitur v. 5: *Avertam vultus* … — Conferas porro II 71, 5: *credimus* quanquam v. 1 antecedit *notavi*. Simili modo apud eundem pro singularibus collocantur plurales: *audemus* XII 94, 7; *colimus* X 103, 9; *damus* V 25, 5; XI 3, 2; *dedimus* X 75, 9; *diximus* X 75, 12; *facimus* V 59, 2; IX 50, 5; *mittimus* IV 19, 4; V 1, 7 (v. 9 *putabo*); V 59, 1; VII 49, 1; VII 91, 2; IX 54, 11; X 94, 6. — *sumus* X 103, 4; alibi. — Quod iam Kuehner animadvertens ad eam sententiam perductus est, ut censeat poëtas autiquos interdum non aliis nisi metricis causis commotos commutavisse numeros.[1]) Nam quanta impedimenta obstiterunt Ennio, cum in poësim introducturus esset versum heroum, cuius metra non erant apta ad verba Latina, quae sunt plerumque trochaica, iambica, spondiaca. Ac non solum ille, verum etiam posteri summa in difficultate versati sunt. Quam ut tollerent confugiebant ad pluralis inprimis tertiae coniugationis primam personam duas breves syllabas offerentem, ubi in singulari succedit una longa.[2]) Quae cum ita sint, huius commutationis rationes maxima ex parte non sunt quaerenda intrinsecus, sed foris adsumendae. Quam ob rem in illa sola nullum tropum videmus.

§ 4.

Nunc transeamus ad substantivos in quibus numerus commutatur. In quorum naturam, priusquam synecdocham constituamus, necesse est accuratius inquiramus. Sunt vero duo genera utriusque numeri distinguenda: aut enim ea

[1]) Ausführl. Grammatik II pg. 64.

[2]) Cfr. Bednara de sermone dactylicorum Latinorum quaestiones alt. pars. Woelffl. Arch. XIV pg. 567.

ratione usurpantur quam grammatici vocant poëticam, aut ea quam appellant generalem. — Ac primum quidem de illis dicamus. Exeat autem haec disputatio a plurali poëtico.[1]) Quem exstare censendum est, ubi cum in prosa poësi nondum infecta collocatur singularis, poëtae pluralem usurpant. Qui referendus est ad singularia tantum. Itaque non sunt commemoranda ea abstracta, quae eandem vim acceperunt ac concreta velut *fata valent idem atque oracula*,[2]) non sunt ea enumeranda, quae pertinent ad animi affectionem saepius atque iterum apparentem, non sunt ea congerenda, quae vocantur ad complura concreta, cum iis attributa sunt. Quae omnia, ut accuratissime exponit Lebreton,[3]) vel a Cicerone in plurali ponuntur. Sed huc spectant ea, quae proferens poëta cogitat de una animi commotione, sicut apud Martialem, ut illustria afferamus, exstant *fastidia*: I 3,3; XIII 17,1; *gaudia* VII 5,2; VII 6,5; VIII 55,12; IX 36,2; *taedia* II 61,4; III 4,6.

Qua de causa autem in his poëtae usurpaverint pluralem, iam diu docti examinaverunt. Atque Spitta[4]) ‚affectus', inquit, ‚quum ratio, qua emicant et quasi in conspectum procedunt, accurate respondent ipsorum vehementiae ac vigori necesse sit, eam, si pluraliter usurpantur, adsumunt significationem, quam adsequaris additis vocabulis qualia sunt forte, vehemens, grave, fervidum, altum, alia'. Opinatur igitur ille in his pluralibus naturam esse epitheti ornantis quod dicitur. Sunt praeterea, ut Lebreton,[5])

---

[1]) Cfr. E. Norden, P. Verg. Mar. Aen. l. VI comm. (Leipzig 1903) pg. 399; P. Maas, Studien zum poëtischen Plural (Woelffl. Arch. XII 479, 599); Slotty de numeri pluralis usu Catulliano (Jena 1905); Bednara l. s. s. pg. 532 sqq.

[2]) Cfr. Norden l. s. s. pg. 135.

[3]) Lebreton la langue et la grammaire de Cicéron (Paris 1901) pg. 38—74.

[4]) Ph. Spitta quaestiones Vergilianae (Sondersh. 1867) pg. 39.

[5]) Lebreton l. s. s. pg. 37.

Braumueller,[1]) qui dicant illum numerum usurpatum esse ad notionem vocis amplificandam vel animi habitum illustrandum aperteque ostendendum. Sed si accuratius in talia inquisiverimus, concedemus iis singularem vim non subiciendam esse. Nam cum aliud exemplum cum alio comparaverimus, mox intellegemus illorum doctorum argumenta esse spinosiora, quam ut ea probare possimus.

Atque ut a poëtis abstracta in plurali collocantur contra orationis pedestris consuetudinem, ita eae res quae sensibus subiectae sunt. Huc autem revocanda sunt ea, quae materiam denotant, velut *harenae, frumenta, papavera, mella, aera, marmora,* tum ea, quae corporis quamvis partem significant, velut *terga, ora, rostra,* denique alia neutrum genus imprimis praebentia, sicut *limina, Capitolia, monimenta*

Sed ex illis ea esse excipienda Guilelmus Landgraf[2]) censet, quibus pluralis quaedam notio subiecta sit, ita ut ne in soluta quidem oratione singularia tantum sint.[2])

Qui ut sententiam suam comprobet, cum alia tum 'harenas' affert, quibus spatium continuum denotatur. Sed apparet, quam infirmo fundamento sint eius argumenta stabilita. Ac primum quidem nobis displicet, quod ille sententiam suam una re comprobatam latissime patere opinatur, tum quod consuetudinem sermonis prosae argenteae quam vocant confundit cum illa dicendi ratione, qua usi sunt poëtae Augusti aetatis. Nam linguarum historiae investigatio non ad posteriora, sed ad priora tempora recurrit. 'Harenas' autem pluraliter pronuntiatas vitium orationis Ciceronis temporibus fuisse Gellius testis est, qui tradit Caesarem (in libro de analogia) castigavisse illum sermonis errorem.[3]) Pluralem numerum litteris primus mandavit

---

[1]) L. s. s. pg. 15.

[2]) Woelfflini Archiv vol XIV pg. 64 sqq.

[3]) Gellius XIX 8, 3.

Vergilius atque ab eo dependisse manifestum est eos scriptores, quos Landgraf affert, qui posteriore aetate libros composuerunt. Atque abhorrere ab incorrupta latini sermonis integritate illam rationem, qua usurpantur verba materiam afferentia pro re, quae ex illis fabricata est vel ex qua fructum quendam homines percipiunt, colligi potest e variis argumentis.

Ac primum quidem temporibus imperium Augusti antecedentibus illa vocabula pluraliter pronuntiata in prosa oratione non inveniri constat, nisi cum translate dicta sunt vel ubi varias res eiusdem speciei denotantur. Nec negandum est eos, qui illa aetate animum ad scribendum applicaverunt, totos se finxisse et accommodavisse ad certa quaedam praecepta. Qui dicunt pluraliter *aera, sales,* i. e. urbanitatem, *ceras,* quae idem valent atque imagines ex aere factae, *glandes,* cui voci subiecta est vis globorum fictilium, *ramices, adipes.*[1]) Deinde permirum videtur esse, quod quanquam eiusdem generis permulta posterioribus temporibus pluralem acceperunt neque illis certis praeceptis continentur postea, tamen pauca ne tum quidem eadem poëtica licentia sunt usa, sicut *aurum, argentum, plumbum,* quae nusquam in alio numero inveniuntur nisi in singulari.[2]) Ex quo efficitur, ut illorum omnium verborum hic numerus sit proprius. Quibus de causis ad eorum sententiam accedere non possumus, qui dicunt illa verba pluralis poetici indicio carere.

Sed redeat, unde aberravit oratio. Nam ex aetate, qua denuo artium studia vigere coeperunt, cum alii tum Fr. Braumueller omnia eiusmodi per synecdochae tropum intellegenda esse censuerunt. Neque enim sine causa poëtas Latinos numeros commutavisse, sed id quam maxime spectantes, ut cum virtute dicerent non solum alibi, verum

[1]) P. Maas l. s. s. pg. 503 sqq.
[2]) Slotty p. 37.

etiam in his: Verg. A. VI 836; VIII 347, 653, ubi pro *Capitolio* scriptum videmus *Capitolia,* tum III 84; V 60; VI 19 et 41, quibus locis invenimus *templa* pro *templo,* deinde VII 364, X 54, ubi pro urbe exstant *urbes.* Quae omnia, ut maiestas rerum oculis legentium proponeretur, dicta opinatur ille vir doctus.[1]) Sed ut illud argumentum, ita alia, quae is profert, sunt spinosiora, quam ut iis assentiri possimus. Nam, ut unum commemoremus, quaestio est, cur in aliis vocabulis ille pluralis poëticus non exstet, ut exempli causa *iuvenes* significent iuvenem admirabili pulchritudine. Tum quae differentia intersit inter eiusdem verbi notionem, sive in plurali ponitur sive in singulari, saepissime perspicuum non est in carminibus priorum temporum et posterioris aetatis; velut apud Martialem *marmor,* quanquam idem significat, in utroque numero collocatur VIII 3, 6; X 2, 9; X 63, 1 — VI 28, 4; X 71, 2; XI 13, 2.

Sed quo consilio re vera cum aliis tum his locis pluralem usurpaverint poëtae, iam grammatici antiqui perspexerunt, ex quibus, ut unum afferamus, Servius ad Verg. B. 5, 36 haec adnotat: *hordea usurpative metri causa dixit, nam triticum, hordeum, vinum, mel numeri tantum singularis sunt.*

Atque idem senserunt his demum temporibus P. Maas, Fr. Slotty, alii, quorum disputationes nuperrime editas qui perleget, cognoscet, quatenus valeant ad numerorum commutationem metricae causae.[2]) Quorum argumenta summatim exponantur.[3])

Poetae Latini, cum prioribus temporibus versu Saturnio neglecto metra dactylica in poësim introducturi essent, versabantur in summa difficultate; desiderabant, cum verba

[1]) L. s. s. pg. 11.
[2]) Hae supra sunt allatae.
[3]) Pluralis poetici apud Martialem usum postea perscrutabor commentatione libello scholastico gymnasii Duderstadiensis addita.

Latina plerumque sint trochaica, spondiaca, iambica, talia, quae apta essent metro dactylico sic composito, ut longam syllabam excipiant duae breves. Accedit, quod ex Sullae temporibus iidem inviti admiserunt elisionem. Quam ob rem non solum non concedebant formas quales sunt *aequori, vultui, litori, pectori, limini, robori,* verum etiam omnes fere casus neutrorum alterius declinationis, quae exeunt in trochaeos. Nam ex iis, si discesseris a genetivo singulari gemina vocali *ii* in unam longam contracta, nullus versui heroo accommodatus erat nisi nominativus et accusativus pluralis. Quam difficultatem ut tollerent poëtae, ponebant illum pro eodem singulari casu. Sic, ut pauca afferamus, apud Martialem scriptum videmus: *balsama* III 63, 4; XIV 59, 1. — *cinnama* III 55, 2; III 63, 4; IV 13, 3; XI 54, 3. — *lilia* IV 22, 5; VIII 28, 11; 33, 14. — *atria* l. sp. 2, 3; I 70, 12; II 90, 6; IV 40, 1; IX 100, 2; XII 3, 10; XII 50, 7. — *ostia* XI 104, 13. — *flammea* XI 78, 3; XII 42, 3. — *pocula* VIII 6, 5; XI 26, 4. — *Palatia*: I 70, 5; IV 5, 7; IX 42, 5; 91, 3; 101, 13; XII 21, 3. — Tum poëtae, quo numerosius caderent versus, etiam eorum verborum pluralem praeferebant, in quibus ille non eadem ratione exigebatur ac supra. Perspicuum igitur est, cur saepissime *aequora* exstet pro *aequor* apud Martialem: l. sp. 16^b, 1; l. sp. 24, 5; VII 44, 5. — *pectora* pro *pectus* II 36, 5; IV 57, 5; VI 21, 9; VI 32, 4; VI 56, 1; X 50, 2; similia. — Deinde iidem potissimum eligebant, ut evitarent monosyllaba, haec: *mella* I 55, 10; IX 26, 4. — *aera* IX 59, 11; IX 68, 5; alia.

Diximus de substantivis neutri generis, in quibus accusativus primus pluralem poeticum accepit, ex quo transit ad ceteros casus. Eademque ratio invenitur in aliis substantivis, quorum accusativus pluraliter pronuntiatus post longam syllabam terminatur littera s, cum idem singularis casus cadat in s brevi antecedente. Quam ob rem, ut hiatum evitarent, confugiebant poetae ad hunc numerum, siquidem eum accommodare poterant versui

heroo. Apud Martialem invenimus velut haec: *lactucas*: III 50, 4; XII 19, 1. — *cineres*: I 88, 10; I 114, 3; VI 85, 4; XI 49, 1; similia.

Nec magis neglegenda fuerunt a poëtis substantivorum attributa, ad quorum numerorum commutationem permultum valuerunt rationes metricae. Quam ob rem Martialis, ut hiatum evitet, cum aliis tum hisce locis pluralem videtur ponere: *dixit et ardentes avido bibit ore favillas* I 42, 5; *saevior in lassos ire sinistra focos* VIII 30, 8. — Atque increbuit usus pluralis et fuit usitatior poëtis, qui, postquam ille inveteravit, eum idcirco praeferebant, ut suam dicendi rationem a sermonis pedestris consuetudine distinguerent. Quod videmus non solum in eorum carminibus, qui floruerunt aetate Augusti, sed etiam apud eos, qui postea versus condiderunt atque inprimis apud Martialem. Illa autem omnia, quae attulimus, sunt ad eorum exemplum conformata, quae in prosa oratione tantum pluralia sunt, quibus eadem fere notio subiecta est atque illis. Nam ut *cervices, praecordia, nates* in sermone communi exstant, ita apud Martialem inveniuntur non in singulari, sed in plurali haec: *colla* I 31, 6; I 51, 4; III 24, 8; IV 42, 8; VI 41, 1; VIII 55, 9; X 12, 6; XIV 211. — *corda* XII 44, 2. — *ora* I 14, 4; I 22, 1; I 48, 8; I 60, 1; I 78, 5; II 72, 4; II 75, 2; III 19, 4; V 34, 4; V 69, 3; VI 34, 6; VI 93, 3; VII 83, 1; VII 87, 9. — *pectora* II 36, 5; IV 57, 5; VI 21, 9; VI 32, 4; VI 56, 1; X 50, 2.[1]) — Porro similitudines afferantur. De *quadrigis, bigis* sibi exemplum quasi ceperunt *plaustra* (VIII 21, 4) *currus* (VIII 26, 7; X 50, 7). Atque ut dicunt Latini omnino *altaria*, ita poëtae *aras* et *focos*, etsi unam rem significant; *aras* III 24, 1, 7; IX 31, 5; IX 43, 9. — *focis* I 21, 2; III 24, 2; VII 27, 4; X 25, 2. — Qua in re poëtae sibi exemplum Graecorum ad imitandum proposuerunt, qui vel in prosa oratione significationem verbi non re-

[1]) cfr. supra.

spicientes cum singularem tum pluralem collocabant. Hi enim illam dicendi rationem iam dudum perceperant. Ex Martiale autem excerpsimus haec: *enses* (= ξίφη, μάχαιραι) I 8,3; *tela* (= βέλη) l. sp. 10,4; 23,5; XI 84,12; *lanas* (= ἔρια) XIII 57; XIV 157; *lanis* XI 56,9; XIII 125; *lanarum* XII 65,5; *tura* (= θύεα) VI 85,12; VIII 8,3; VIII 15,3; VIII 24,4; XI 54,2; XI 104, 12; XIII 4; *litora* (= ἀκταί) IV 25,1; IV 57,7; VI 34,3; *ortus* (= ἀνατολαί) III 6,3. —

Quae cum ita sint, non habemus cur pluralia eius generis per tropum intellegamus. Nam, ut supra diximus, illius commutationis rationes non intrinsecus sunt quaerendae, sed adsumendae foris.

Atque ut hic numerus exstat in versibus, ita singularis. Qui agnoscitur, ubi in prosa oratione arte poetica non infecta collocatur pluralis. Est igitur revocandus ad ea, quae in illa hunc tantummodo numerum retinent. Cuiusmodi haec apud Martialem inveniuntur: *littera* VII 45, 4; *tibia* V 78, 30; *cervice* l. sp. 23, 3; *nare* VI 39, 8.[1])

§ 5.

Nunc dicendum est de singulari generali, qui proprius est sermonis communis. Eminent autem e ceteris, quae huc pertinent, ea, quae populorum nomina afferunt et ea, quae referuntur ad rem militarem.[2]) Nam quanquam illa saepius atque iterum extant in ea forma iam apud Ciceronem, perviget horum singularis usus ex Livi et Taciti temporibus, etiamsi idem iam priore aetate invenitur[3]) velut apud Auct. ad Her., apud quem scriptum videmus (IV 45): *Poeno fuit Hispanus auxilio, fuit immanis ille Transalpinus* et quae secuntur. A quo cum discesseris, alii, Dionysius Halicar-

[1]) Apud Vergilium exstat *carcer* Ae. V 145.
[2]) Cfr. L e b r e t o n l. s. s. pg. 78 sqq.
[3]) E Cicerone exempla L e b r e t o n affert p. 78.

nasseus,[1]) Cicero,[2]) Quintilianus[3]) hanc dicendi rationem ad synecdocham referunt. Nec tamen hi veram troporum naturam intellexerunt. Nam inest in illis omnibus singularibus sententia quaedam collectiva. Quibus cum poëtae utuntur, quanquam magis exprimitur oratio, tamen adeo desideratur virtus, ut in iis ne quicquam quidem tropici generis reperiamus. Usitatior autem est illis quam ceteris scriptoribus hic singularis. Qui eum usurpant ac primum quidem, ut suum sermonem distinguant a prosa oratione, deinde interdum, quod coguntur praeceptis quibusdam metricis.[4]) Quae qualia sint supra docuimus. Inseri enim possunt aptius versui heroo nonnulla verba, cum in singulari ponuntur quam in plurali: dicimus tantummodo *ancoram*, cuius singularis elisione non concessa, ut omittam nominativum *ancora*, ad versum dactylicum non admittitur et cuius pluralis ab eodem abhorret totus.[5]) Quae sententia his comprobetur Mart. (VII 36, 3 et 4)[6])

Plurima, quae posset subitos effundere nimbos,
Muneribus venit tegula missa tuis.

conferas porro haec (Mart. V 69, 5): *Impius infando miles corrumpitur auro* nam 'mīlĭtēs' versui dactylico repugnaret.

Adiungantur alia, quae ipsa quoque e Martiale excerpsimus (VII 5, 6): *bárbărŭs et frŭĭtur*; (XIII 73): *ipse suas nunquam bārbărŭs edit aves*; (VIII 68, 8): *cālcŭlŭs in nitida sic numeratur aqua*; (VI 75, 2): *sive femur leporis*; neque enim aptum est *fĕmŏră* versui dactylico.

[1]) περ. Θουκ ἰδιωμ. pg. 798.
[2]) De orat. III 168.
[3]) VIII 6, 20.
[4]) Cfr. E. H a e f n e r, Die Eigennamen bei den lateinischen Hexametrikern (München 1895) pg. 3.
[5]) Cfr. N o r d e n, Comm. in VI l. Aen. pg. 113.
[6]) Quanquam in adiectivo *plurima* notio plurativa inest, quae nisi obstaret metrum, exigeret pluralem.

§ 6.

Quoniam satis demonstravisse videmur tropos non effici nisi significatione verborum aliquatenus commutata, accedamus ad quartam speciem huius formae quam grammatici putant synecdochicam, numerum pluralem qui vocatur generalis. Quem commemoraverunt iam Aristoteles[1]) et auctor *περὶ ὕψους*.[2]) Atque his demum temporibus, ut illius usum illustrarent, congesserunt permulta exempla Kuehner,[3]) Rothstein,[4]) Maas.[5]) Quae qui perlegerit, concedet ea omnia esse cum virtute dicta atque inesse in iis quandam rhetoricam vim. Sic Vergilius, ut dubium vel ambiguum significet sermonem, qui oraculis proprius est, hunc pluralem in Aeneide usurpat VIII 503: *externos optate duces*, i. e. Aeneam; ibid. simili modo VII 98: *externi venient generi*. Ad contemptionem quandam adducitur solus dux Troianorum hisce (VII 359): *exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris?*

Quem usum pluralis numeri quadrare magis in tragoedias et carmina epica, quae quasi lectissimis verbis utuntur et rhetorice res ornant quam in poëmatum argumenta Martialis, quae quodammodo versantur in morum ac vitae imitatione. Quam ob rem mirum non est, quod apud hunc occurrit eiusmodi hoc (X 25, 2): *imposuit qui sua membra* (i. e. manum) *focis*. Nec magis quam ad cetera illustranda pertinet hic pluralis, inservit idem ad significandos homines, velut apud Horatium (Sat. I 7, 8) exstat: *Sisennas Barros ut equis praecurreret albis*. Qui usus loquendi rarius invenitur apud poëtas quam apud scriptores, usitatior autem est cum aliis, qui poëmata condiderunt aetate

---

[1]) Rhet. 3, 6.
[2]) C. 23 cfr. Beda ap. Halm pg. 609, 1.
[3]) L. s. s. II § 23, 7 et 8.
[4]) Ed. Prop. 2, 24 et 25.
[5]) L. s. s. pg. 499.

argentea quam vocant, tum Martiali, apud quem permulta habes, sicut (XII 36, 8 sq.):

Pisones Senecasque Memmiosque
Et Crispos mihi redde, sed priores.

Sed quibus de causis haec subiungamus synecdochae, infra, ne digrediamur a proposito, exponemus.

Ex his quae diximus satis apparet commutatione numerorum per se tropum non effici. Quem ad errorem idcirco antiqui grammatici inducti videntur esse, quod non satis accurate inquisiverunt, quibus de causis illa commutatio facta sit in poëtarum carminibus. Nam quod dictum aliquod in una re latissime patere censuerunt, factum est, ut illam singularem ac peculiarem synecdochae speciem constituerent. Quorum sententiam nos non posse sequi concedendum erit. Nam talia, ubi pro pluribus unum vel pro uno plura collocantur, non intellegimus synecdochice, nisi cum ea supponere possumus singulis huius tropi partibus, in quas omnino eum dividi putamus; cui autem parti sint subiungenda ea, ubi *membra* exstant pro *manu* pro *Aenea exsules vel duces*, insequentibus paragraphis docebimus.

§ 7.

Dicendum nunc de alia synecdochae forma. Quam tum cum genus pro specie ponitur agnoscunt ut grammatici Graeci,[1]) ita Quintilianus, quorum auctoritatem etiam docti huius aetatis secuti sunt. Qui omnes huc referunt non solum, ubi *mortales* pro *hominibus* collocantur, verum etiam, ubi pro *gladio*, similibus rebus *ferrum*, pro iis, quae ex marmore confecta sunt, id ipsum ponitur. Sed sunt qui, cum poëtae illa dicunt, in eis non synecdocham, sed metonymiam exstare opinentur.[2]) Supra enim grammaticos

---

[1]) Cfr. Pseudo-Plutarchum et anonymum, quos supra diximus.
[2]) Servius (Verg. Aen. IX 695, XII 737; Buc. VII 37); cfr. Moore l. s. s. pg. 15; Straub pg. 7; Gross pg. 27; Braumueller pg. 5 sqq.;

antiquos interdum hos tropos confudisse exposuimus. Si vero Quintilianum respeximus dicentem in illis vicinitatem quandam inesse, aliquatenus doctis veniam dabimus. Quod is concedet, qui libro Lindskogii nixus inquisiverit, utrum verbum ex iis, de quibus dicimus, tribuendum sit metonymiae an synecdochae. Nam, ut exemplis utamur, apud Martialem *aurum* idem valet ac *nummus aureus* aut *vasa* vel *pocula aurea*, *marmor* significat tum *lapidem miliarium*, tum *monumentum ex illo factum*. In quibus, unde originem duxerit res, poeta respicit. Qua de causa grammatici haec et similia sub eandem rationem cadere putant. Sunt enim qui, ut supra commemoravimus, talia omnia metonymiae subiciant: 'nam materiam, quae quoque loco nominatur, infinite acceperunt et rationem causae exquisitius transtulerunt'. Sed reperiuntur, qui velut Trypho,[1] Quintilianus,[2] Volkmann,[3] Franke,[4] Fenger,[5] alii, cum *genus pro specie* ponatur, ea per synecdocham dicta arbitrentur. Ac profecto si quis quaestionem habuerit, illa huic subiungenda esse cognoscet. Nam poëta, ubi *marmor* dicens *monumentum marmoreum* proponit, init rationem, qua rem sub eundem aspectum paene subicit. Afferens enim materiam cogitat de eo, quod ex illa confectum est, quo fit, ut ‚tropus in re proposita quasi remaneat'. Quae cum ita sint, si revocabimus, quae ratio intercedat inter metonymiam et synecdocham, illa huic tropo subiungenda constituamus necesse est eodem argumento nixi ac Lindskog.[6])

Graheis de troporum in L. Annaei Senecae tragoediis generibus potioribus (Vindob. 1895) pg. 45.

[1]) L. s. s. pg. 196.

[2]) VIII 6, 20.

[3]) L. s. s. pg. 422.

[4]) Franke de Tib. Silii Italici Pumicorum tropis pg. 85.

[5]) L. s. s. pg. 28.

[6]) L. s. s. pg. 23.

§ 8.

Sed idem, cum illam definitionem plurimorum, qui omnibus illis locis *genus pro specie* exstare dicunt, improbet, constituit aliam. Quam ad sententiam cur adductus sit, ipse exponit.[1]) Ex iis enim, quibus pg. 11 sq. quales sint metonymia et synecdocha, quibus finibus illae circumscribantur, demonstravimus, elucet, quare is synecdochice intellegat exempla eiusmodi ut illud e Horatio repetitum *triste lignum* (Carm. II 13, 11) quo is, ut bilem suam emoveat, arborem, qua paene exstinctus est, appellat. Nam cum lignum in notione arboris quasi versetur, ut 'nec re nec cogitatione seiuncta sit' ab ea, id autem potissimum efferatur a poëta, quod inprimis causa mortis immaturae paene fuit, dilucidum est, cur is ad illam sententiam perductus sit. Quod exemplum cum non satis ei quadrare videatur in eam definitionem, quam plerique grammatici amplexi sunt, potius esse dicendum censet ibidem 'qualitatem vel proprietatem pro re ipsa positam esse.'

At, ut iam Bluemnero[2]) videtur, hunc tropum latius patere iudices cave. Neque enim Lindskog[3]) nobis probavit quod dicit in verbis *an de moneta Caesaris 'decem flavos'* (sc. *darem* Mart. XII 65, 6) nummos aureos per synecdocham intellegendos esse, cum qualitas pro re exstet. Nam quo consilio ductus poëta hoc loco illa sententia utatur, e totius epigrammatis argumento apparet. Martialis enim, postquam cum puella quadam pulchra coniunctus est amore, qualia dona illi offerat, secum meditatur. Inter quae cum alia tum Baeticarum *pondus acre* lanarum enumerantur, quam dicendi rationem e sermone cotidiano depromptam esse Friedlaender[4]) intellexit. Itaque cum huius poëmatis argumentum non quadret in

---

[1]) Pg. 10.

[2]) L. s. s. pg. 502.

[3]) L. s. s. p. 23.

[4]) Cf. eius in hunc locum adnotationem.

elationem atque altitudinem quandam orationis, ratio dicendi qua utitur Martialis hoc loco familiaris est. Sub id, de quo dicimus, hoc quoque cadit, quod poëtae iam prioris aetatis velut Horatius pro Falerno vino ponunt *Falernum*, similiter Martialis pro Cosmiano unguento *Cosmianum*. Qualia nostra quidem sententia cum per figuram *ἐλλείψεως*, quae accedit ad cotidiani sermonis genus, intellegenda sint, non pertinent ad troporum rationem et disciplinam. Quae figura saepissime in Martialis carminibus invenitur. Ac primum quidem liceat nobis affere nomina numeralia et pronomina, ad quae quoddam substantivum addendum est velut (III 20, 18): *An Pollionis dulce currit ad quartum?* i. e. ad praedium suburbanum prope quartum lapidem situm; VI 77, 10: *non debes ferri mortuus hexaphoro* sc. lecto; VIII 42, 3: *de nostro, Matho, centies laveris* sc. balneo; VIII 44, 8 *curris per omnes tertiasque quintasque* sc. horas. Nunc transeamus ad nomina propria IX 51, 5: *tu colis Elysios* (sc. campos); VIII 75, 2: *a Tecta Flaminiaque* (sc. via); XIII 80, 11: *in Siculo* (sc. mari). Eodem autem consilio sunt scripta: *nec desunt tibi vera Gratiana* sc. vestimenta (IV 39, 6); *libram petit illa Cosmiani* sc. unguenti (XII 55, 7; cf. XI 15, 6); *Vatiniorum proxeneta fractorum* sc. vasorum X 3, 4; pro lacu Lucrino ponitur *Lucrinus* IV 57, 1; XIII 82, 1; *Falernum* nominatur vinum Falernum: II 40, 6; VIII 56, 14; IX 22, 8; XI 26, 3 XII 17, 5; XIII 108, 1. — Simili modo scriptum videmus *Caecubum* pro vino Caecubo II 40, 5; III 26, 3; *Opimianum* pro vino Opimiano IX 87, 1; X 49, 2. *Setina* eodem modo exstant: IV 69, 1; VIII 51, 19; IX 2, 5; *Massica*: III 26, 3; III 49, 1; *Surrentina* XIII 110, 1. Illa autem exempla ut praebent pro vino locum ubi crescit,[1]) ita haec pro fruc-

[1]) Talia Volkmann (l. s. s. pg. 425) quem secutus est Dressler de troporum qui dicuntur apud Catullum usu (Wien, a. 1882) pg. 18 subiungit antonomasiae. De hac infra disputabimus; hic satis est mentionem facere Quintiliani, qui (inst. orat. VIII 6, 20) dicit eum

tibus vel aliis rebus iucundi saporis regionem nominant, ubi illa conduntur aut pariuntur aut conficiuntur: *tu Lucrina voras, me pascit aquosa peloris* (VI 11, 5); et *vis scribi propter, quinque Lucrina, vale*, sc. ostrea (XII 48, 4); *rugosarum vimen breve Picenarum* (sc. *olivarum* IV 88, 7); *Lucanica ventre cum Falisco* sc. hilla (IV 46, 8); *Chia* (sc. *ficus* XIII 23); *flavas medio vapore Chias* (VII 31, 2); *Persica* (sc. *mala* XIII 46); *acuta senibus testa cum Damascenis* (sc. *prunis* V 18, 3); *viles Cappadocae gravesque porri* (sc. *lactucae* V 78, 4). Porro conferas: *ansae veterum Corinthiorum* (sc. *vasorum* IX 57, 2); *Serica* (i. e. *Serica vestimenta* IX 37, 3; XI 8, 5; XI 27, 11); *Leuconico* (i. e. *lana* vel potius *vellere Leuconico* XI 21, 8); *Molossos* (sc. *canes* lib. spect. 30, 1). — Ut illic ad nomina propria quae grammatici dicunt, ita etiam ad alia nomina supplenda sunt substantiva. Ac primum quidem sunt verba afferenda, quae *nummos* designant. *Flavus* iam supra attulimus; addas praeterea quaeso *aureolus*: *qui crepet aureolos, forsitan unus erit* (V 19, 14); *aureolis futui cum poscit Galla duobus* (IX 4, 1); *centum aureolos* (XI 27, 12); *aureolos . . . crepantes* (XII 36, 3). Tum res adiungendae sunt ad vestiendum aut potandum inservientes: [*donasti*], '*Hispanas Tyriasque coccinasque*' (sc. *vestes* IV 28, 2); *coccina famosae donas et ianthina moechae* (sc. vestimenta II 39, 1); [*simplicius est*] *mense vel Augusto sumere gausapinas* (sc. *paenulas* VI 59, 8). Simili modo

tropum ponere aliquid pro nomine, velut exstent pro Achille Pelides, pro Iove divum pater atque hominum rex. 'Quam explicationem' monent illi 'talem esse, ut antonomasiam non nisi in nominibus propriis versari existimes'. Id falsum esse. Namque in nominibus appellativis quae grammatici dicunt non nunquam proprium per accidens significari, velut apud Catullum (27, 1) pro vino Falerno collocetur *Falernum*. Nec vero ad eorum sententiam accedere possumus. Nam in eiusmodi verbis, ad quae spectant Volkmann et Dressler, non id agitur, ut aliquid ponatur pro nomine, sed ut ad id, quod iam exstat, aliud quiddam addatur. Itaque talia non per antonomasiam, sed per figuram quae dicitur *ἐλλείψεως* intellegimus.

significantur vasa vel pocula his: 1. *pocula*: *crystallina* IX 59, 13; XIV 111 (cf. III 82, 25: *crystallinisque murrinisque propinat*); XII 70, 9: *quantum diatreta valent*. 2. *vasa*: *aurea solus habes, murrina solus habes* (III 26, 2). 3. *lances*: *chrysendeta* (II 43, 11; VI 94, 1; XIV 97). Deinde addantur cetera, quae sub eandem rationem cadunt: *frigida non deerit, non deerit calda petenti* (sc. *aqua* XIV 105); *mordent aurea . . . lupata cervi* (sc. *frena* I 104, 4); *rustica* (i. e. *rustica avis* XIII 76, 1); merum idem valet saepissime ac vinum aqua non commixtum VIII 6, 12; VIII 45, 6; XIII 108, alibi. Eademque ratione exstat *mulsum* (pro *mulso vino* XIII 6). Quae omnia sunt dicta per figuram *ἐλλείψεως*. Quod per se tam perspicuum tamque facile est ad intellegendum, ut opus non sit illam copiosius tractare.

§ 9.

Iam exsistit alia quaestio. Apud Iuvenalem enim (II 58 sqq.) scriptum videmus: *cur solo 'tabulas' impleverit Hister liberto*, i. e. *testamentum*. Quod per synecdocham dictum esse Lindskog censet[1]), quod testamenti proprium sit tabulis mandari (cf. Mart. V 32, 1: *tabulis supremis*). Sed si hanc sententiam sequeremur, ad eandem nos accedere oporteret haec examinantes: *charta salutatrix* IX 99, 2; i. e. *epistula*; *volo te chartis inseruisse meis* IV 31, 4; i. e. *poëmatibus*. Praeterea haec reperis: *tibi habe, Polycharme, tabellas* VIII 37, 3; *quadringentorum reddes mihi, Phoebe, tabellas* IX 102, 1; ubi *tabella* idem valet ac *syngraphum*; adicias porro *pulchrior in terris nulla tabella foret* X 32, 6 i. e. *pictura*. Quibus in locutionibus tabella et charta ponuntur pro iis, quaecunque illis consignantur. Eadem fere quasi cognatione inter se continentur haec: *aridam restem . . . reliquit ultimis pater ceris*, i. e. *testamento*

[1]) Pg. 22.

IV 70, 2.[1]) Qualia non per *synecdocham*, sed per *metonymiam* dicta esse intellegimus, quia pro re ipsa ponitur *qualitas* vel *proprietas*, quae non ei insita et innata, sed fortuito et temere quasi adiecta et addita est. Itaque Lindskogii synecdocham latius patere censendum est.

§ 10.

Restat, ut illius tropi definitionem accuratius circumscribamus. Redeamus ad id exemplum, e quo haec disputatio profecta est, ubi *lignum* idem significat atque *arbor* vel *truncus*, quocum conferas quaeso Verg. Aen. XII 767; alibi *lignum* denotat *hastile* (ibid. IX 413), aut *equus* (ibid. II v. 45) aut *tabula* (Iuv. XVI 41). Quibus omnibus locis cum quae afferuntur lignea sint, apparet ligni notione res eiusdem generis comprehendi, quae diversas species significant, i. e. genus pro specie ponitur. Quae cum ita sint, improbata Lindskogi sententia eam definitionem retineamus, quam iam antiqui constituerunt.

§ 11.

Atque iam ad aliam huius synecdochicae formae speciem transeamus. Ut enim Lindskog, ubi res ex sua forma vel proprietate intellegitur, synecdocham exstare censet, ita eam poni putat, ubi pro animali ipso eius est qualitas vel proprietas. Id autem effici cogique posse, si deliberaverimus, qua ratione illa locutio exstiterit, qua poëtae, ubi verbum premant ac cum vi dicant, *homines* nominent *mortales*. Animis enim eos non fingere homines ceteris animalibus oppositos, sed illorum fragilitatem omnipotentiae deorum. Tum quidem fieri posse, ut illa vox et similes latius pateant atque exstent universe pro *hominibus*, ubi non id agatur, ut genus humanum oppo-

[1]) Aliis locis *charta* et *pagina* idem valent ac *liber*, quae, cum pars ponatur pro toto, synecdochice intellegenda sunt; cf. Mart. V 6, 7; X 19, 17—IX 77, 2.

natur diis.[1]) Qua de causa omnia eiusmodi per hunc tropum dicta esse opinatur.

Sed ille, quod quidem iam Bluemnero videtur,[2]) synecdocham latius quam licet patere putat. Neque enim existimandum est eam exstare, ubicunque ad aliquem designandum affertur id, quod spectat ad eius aetatem, consilia, facta, similia, velut a Vergilio Camilla tum infans, tum virgo appellatur (Aen. XI 535 sqq.). An putas Martialem in tropo versari, cum ut animos legentium varietate quadam delectet, pro voce *amicae* affert alias, vel *adulteram* vel *dominam* vel *moecham*?[3]) Sic Lindskog[4]) censet per synecdocham esse intellegendum illud Martialis (V 12,7): *portet Stella meus decem puellas.* Confertur enim hoc loco per dissimulationem cum Stella poëta Linus quidam. Nam ut hic pueros multos utroque bracchio erectos portare dicitur, ille decem puellas i. e. effigies decem puellarum in unius seu plurium gemmis insculptas. Quas haud sio an recte intellegant docti Musas et decimam addant tum Minervam, tum Violentillam, Stellae amatam. Quam controversiam certe diuidicare non possumus. Sed etsi illam sententiam comprobemus, per tropum decem *puellas* intellegi negemus. Nam poeta simili utitur opponens puellas pueris.

E quibus apparet quali opinionis pravitate is inficiatur, qui cum Lindskogio, ubicunque pro homine collocatur eius qualitas, constituit synecdocham.

Videatis porro, quam infirmo argumento is nobis huius formae vim probet. Qui illam locutionem *mortales* quoniam diversa ratione usurpari intellexit, mirum est, quod ne ipse quidem illam ad diversos tropos referri perspexit. Sunt enim secernendae synecdocha et antonomasia neque

[1]) Cf. l. s. s. pg. 10.
[2]) Cf. l. s. s. pg. 502.
[3]) IX 2, 3, 5, 9.
[4]) Pg. 24.

confundendae, quanquam in eis quandam vicinitatem esse nemo est qui neget. Ad illam autem referendam esse eam dicendi rationem, in qua pro *hominibus* generaliter *mortales* ponuntur, ex eis elucet, quae supra de huius tropi natura diximus. Nam imago nexu ex notarum insignium communitate cognito percipitur, i. e. genus ponitur pro specie.

Ad antonomasiam vero est revocandum, ubi sicut supra una proprietas obicitur ceteris, quae in uno eodemque animali sunt, velut, ut exemplo illustri utamur, ad Iovem illustrandum is omnipotens appellatur, i. e. ubi ex omnibus qualitatibus, quae illius propriae sunt, una effertur vi. Qua ratione sequimur Quintiliani sententiam, qui eum tropum sic definit: *antonomasia, quae aliquid pro nomine ponit, poëtis utroque modo frequentissima et per epitheton, quod detracto eo cui apponitur valet pro nomine Tydides, Pelides, et his, quae in quoque sunt praecipua: divum pater atque hominum rex, et ex factis, quibus persona significatur: thalamo quae fixa reliquit impius.*[1])

Ac Beda illum tropum animo totum complectens in quattuor partes dividi vult. Qui describit eius naturam hoc modo: *fit — ab animo, ut numquid non tu percussisti superbum? a corpore ut: vir spurius altitudinis sex cubitorum et palmi, a genere ut — filius Isai — a loco ut auctorem seditionis sectae Nazarenorum, ab actu ut: qui autem tradit illum, dedit iis signum, ab eventu ut: discipulus ille, quem diligebat Iesus.*[2])

Idcirco, ut nonnulla e Martiale proferamus, antonomasiae subiungenda sunt haec, quae ad deos pertinent. Inprimis enim Martialis Iovem sive Tonantem sive patrem aetherium sive summum patrem sive deum patrem sive similibus vocibus appellat (X 51, 13; XIII 74, 1, — IX 35, 10; IX 36, 7; IX 1, 5; IX 65, 10; IX 3, 6). Deinde ea, quae ad

[1]) VIII 6, 29.
[2]) Beda apud Halm pg. 613.

originem cuiusvis spectant, in antonomasiae tropo versantur, veluti appellatur: *Aesculapius* — *Latonae venerande nepos* IX 17,1; *Hercules* — *Alcides* IX 25, 7; IX 34, 6; IX 101,11. Sub eandem rationem praeterea cadit, quod patriae aut loci, ubi aliquis colitur aut versatur, nomine poëta utitur. Sic designatur: *Aesculapius* — *Pergameus deus* IX 16, 2; *Mercurius* — *Arcas* IX 34, 6; *Ganymedes* — *Phrygius minister* XII 15, 7.

§ 12.

Sed illa omnia non referuntur ad eum tropum, de quo haec quaestio est. Ad quam autem opinionem ille adducatur, qui idem senserit ac Lindskog de altera forma ab eo constituta, satis demonstravisse videmur. Ille enim variis erroribus implicatus est, quod non stricte eam definivit. Cui ita non assentimur, ut retineamus, quod grammatici antiqui proposuerunt: genus pro specie. Quam partem ubicunque collocamus, cum notionem rerum vel animalium, quae universe vel indefinite exstantia vinculo quodam copulata sunt, ex illa communitate intellegimus: qua de causa huic synecdochicae formae subiungimus quae supra commemoravimus posita in plurali, qui dicitur generalis. *membra* pro *manu*, *exsules* et *duces* pro *Aenea*.

Atque eam speciem, quae huic contraria est, supra leviter attigimus. Ad quam pertinet hoc Martialis: *lucebit Latia culta omnis fenestra nuru?* X 6, 4; quo loco, cum *nurus* cuiusvis aetatis mulieres significent, species certa exstat pro genere universo. Atque etiam quae in plurali qui dicitur generalis collocata invenimus, huc pertinent, ubi pro iis, qui eadem animi ingeniique indole inter ceteros excellunt, singuli afferuntur. Quae cum ita sint, in quattuor partes dividimus synecdocham. Quam exstare arbitramur, ubi pars pro toto collocatur, deinde, ubi totum pro parte scriptum videmus, tum ubi exstat genus pro specie, denique cum invenitur contraria forma.

Cap. III.

§ 1.

Postquam superiore capite diximus, in quas partes synecdocham dividi velimus, iam quae cuique earum sint subiungenda, quae non, paucis exponamus. Ac primum quidem monendum videtur esse ad linguam excolendam ut metaphoram et metonymiam ita synecdocham pertinere ac maioris momenti esse doctorum opinione. Quod ut evincat, Gerber nomen serpentis affert.[1]) Nam apparet hoc verbo genus animalium serpentium primo significatum esse, tum speciem quandam. Quod saepissime accidit: vocabulum, quod primo latius patet, postea valet angustius. Sic apud Martialem exstant: *noluerit dici quam* (sc. *togam*) *pila prima suam* II 43, 6; i. e. simulacrum stramenticium, quo in harena tauri lacessuntur; itemque scriptum videmus: *fornicem cludit* XI 61, 4; *fornix* autem hoc loco intellegitur et nomen ducit e cella camerata, in qua prostabant meretrices. Qualia exempla, quorum multa in unum colligere possumus, adicimus, quod ea sunt synecdochae tropo propinqua et finitima.

Ex iis autem elucet esse vocabula, quibus, cum in cotidiani sermonis usum cessissent, spatio temporis intermisso alia ac singularis quaedam notio subicitur a paucis hominibus. Qua ratione intellegitur, quomodo fieri possit, ut adiectiva vim substantivorum accipiant. Sic apud Martialem *capillati* sunt iuvenes nobiles (X 62, 2); *quattuor inscripti* sunt servi (VIII 75, 9); tum *exoletus* moechum designat (XII 91, 2); *prasinus* aut *venetus* aurigam alterutrius factionis (XIV 131; VI 46, 1; X 48, 23). Addas quaeso haec: *flammea* XI 78, 3; *virilia* XI 29, 1; *pugillares* XIV 3, 5, 7; *cereus* X 87, 5; XIV 42; *Tuscis fictilibus* XIV 98; V 59, 4; *desine, si pudor est, miseram traducere 'calvam'*

[1]) Gerber I² l. s. s. pg. 339.

III 74, 5; *non te paganica thermis* (sc. praeparat) VII 32, 7. Quibus comprobatur e qualitate praecipua interdum rem ipsam nomen capere posse; qualitas enim efficit, ut verbum, quod initio, si ad originem spectas, est adiectivum, substantivi vim accipiat.

Sed in linguis quae, ut Latina, iam quasi permulta saecula percurrerunt, in plerisque verbis illum translationis colorem non perspicuum esse, sed plus minusve debilitatum videri apparet, inprimis illis temporibus, quibus ea a Cicerone ad sublimitatem quandam perducta est. Itaque a nobis sunt ea omnia nomina, velut *os*, quod collocatur pro *facie*, omittenda, quae aetate Martialis multo usu detrita fuerunt, ut in tropo iam non versentur, sed ea omnia afferenda, quae tum viguerunt atque, ut oratio incitatius ferretur, ascita sunt.

§ 2.

Quibus praemissis ad singula transeamus. Atque inter omnes synecdochae species eam obtinere primum locum, quae in parte pro toto ponenda versatur, supra commemoravimus. Huc referenda sunt illa verba, quae per synecdocham translata in poëtarum officina tamquam instrumenta fuerunt veluti *aether* vel *polus* pro *caelo*, *rotae* pro *curru*, *limen* vel *limina* pro *domo*, *iuga* pro *monte* exstantia. Quam synecdochae speciem praebere inprimis duas formas e Donati[1]) verbis apparet: in qua figura (sc. synecdocha) et pars pro toto ponenda est, quae aut eminens ex toto, aut maioris pretii est ad id, quod agitur. Prior autem exstat, ubi a poëtis ad hominem designandum ponitur *caput*. Nam id collocatur, quod est sedes rationis, ita ut e ceteris corporis membris excellat. Ulteriorem autem formam reperiri etiam apud Martialem e. l. III ep. 5 v. 5 iam supra allato apparet. Librum enim poëta adhor-

[1]) Ad Ter. Andr. 261.

tatur, ubi primum pervenerit Romam, quam celerrime adeat amicum suum. *Protinus* (sc. liber) *hunc primae quaeres in limine Tectae.* Quo in versu *limen* idem valere ac *domum* est perspicuum, *limen* autem commemorari a Martiale, quod maioris pretii est ad id, quod agitur. Hoc enim petendum est, priusquam domum intravit, a libro primum. E quibus apparet oratione eam partem exprimi, quaecunque cum toto quadam ratione coniuncta est. Quo fit, ut duae notiones et altera, quae nominatur, et altera, ad quam spectat verbum, tam arto vinculo inter se cohaereant, ut saepius atque iterum in dubium vocari possit, utrum inter illas ratio partis et totius intercedat, an accipienda sint verba sensu proprio.[1]) Sed ut nostram sententiam exemplis ostendamus, conferas quaeso haec: *omne 'limen' conteris salutator* VIII 44, 4; [*cum*] *mane salutator limina mille teras, hic ego quid faciam?* X 10, 2 et 3 *per limina . . . toga ventilat* XII 18, 4 sq. *sexagena teras cum limina mane senator, esse tibi videor desidiosus eques* XII 26, 1 et 2.

Ut illis locis nobis dubitatio inicitur, utrum poëta cogitet de limine solo an de tota domo, ita in his potest dubium esse, utrum illius animo observetur *rota* ipsa an *currus* totus: *nec te barbara contumeliosi calcatum rota conterat bubulci* X 7, 4 et 5. Porro aliud exemplum adicias: *sexta peregit hieme, nec tamen tota* (sc. *Erotion*) V 37, 16. Exstatne hoc loco *hiëms* pro *toto anno*? Nobis sic quaerentibus occurrit versus, qui ad eandem puellam spectat: *impletura fuit sextae modo frigora brumae* V 34, 5, e quo elucet illam virginem re vera obisse mortem hieme. Quae omnia monemus contra Ericum Lindskog,[2]) qui cum synecdocham latius patere velit, eum tropum tanto melius conformari censet, quanto magis ad cotidiani sermonis genus accedat. Deinde infra 'permultis', inquit, 'locis tan-

[1]) Cf. Gerber l. s. s. II pg. 35.
[2]) Pg. 15.

tum propriae significationis interlucet, ut tropus consulto positus videatur'. Sed nos ad eam sententiam non possumus accedere. Nam nullo modo tropos nanciscimur, nisi poëtae translaticie dicunt. Recte idcirco Quintilianus[1]) docet tropum esse verbi vel sermonis a propria significatione in aliam 'cum virtute' mutationem. Itaque omnia eiusmodi, quae in dubium vocari possunt, ab hac disputatione secernenda esse censemus.

Atque inprimis animus est attendendus ad vocabula, quaecunque membrum partemve corporis nominando hominem ipsum significant. Subicias quaeso oculis haec, quae a Martiale excerpsimus: *desiderium tanti est, ut . . . urbano releves colla perusta iugo* X 12, 5 sqq., ubi tropum videmus nullum; nam re vera iugum imponitur collo. Similia habes apud Martialem identidem: *non tetrica nostros excipe fronte iocos* X 64, 2; *sic me fronte legat dominus, Faustine, serena* VII 12, 1;[2]) *sic te receptum fronte videris tota* VII 26, 5. Dicitur enim de fronte ipsa, quae aut contrahi aut explicari potest. Atque ad Stellam quendam, qui manum vel digitum gemmis magni pretii ornavit, spectant haec verba, quae quasi per hyperbolam dicta sunt: *sardonychas, zmaragdos, adamantas, iaspidas uno versat in articulo Stella, Severe, meus* V 11, 1 et 2. Quem in locum nescio quis adnotavit articulum idem valere ac digitum; nec vero recte non alius digiti articulus nisi infimus anulo induitur.

Sed copiosius de ha re videmur disputare: iam satis apparet tantummodo synecdocham constituendam esse, cum poëtae corpori humano vel eius membris tribuunt qualitatem, qualis in homine potest esse solo, aut cum

[1]) VIII 6, 1.

[2]) Efficiunt autem verbum legendi et adiectivum *serenus*, ut eam sententiam per metonymiam attributivam intellegamus (cf. Fenger l. l. pg. 33).

res a membris parteve corporis perfici dicuntur, quae ab homine geruntur toto.[1])

§ 3.

Iam ad contrariam speciem, in qua 'totum pro parte' ponitur, transeuntibus magna exsistit quaestio. Quae pertinet ad illa exempla, ubi pro rebus, quas in usum suum conferunt homines, ponuntur bestiae vel earum corporum partes, e quibus ille fructus percipitur. Ut enim exemplo utamur, apud Martialem hoc invenitur: *puncta notis ilex* XIV 92. Sententia autem postulat, ut ilex idem significet ac 'baculum e quercus ligno factum'. Similiter *verum rhinocerota me putabas* XIV 52 idem est ac 'lagunculam ex rhinocerotis cornu confectam me putabas'. Conferas porro *an Libycos Indis suspendis dentibus orbes* II 43, 9, ubi pedes eburnei intelleguntur, in quibus mensae citreae positae sunt (cf. IX 22, 5; IX 59, 7—10; X 98, 6, XIV 3). Qualia permulti, ut Volkmann,[2]) Straub,[3]) Frank,[4]) Groß,[5]) Braumueller,[6]) cum pro toto exstet pars, synecdochae tropo subiungunt. Nec vero illorum sententiam sequimur. Nam ubi quercum nominando fingitur animo corona laurea ex quercus foliis facta, observatur idearum, ut ita dicamus, associatione oculis mentis, qua ratione gradatim illa corona exoriatur. Poëta igitur a re animo proposita ita discedit, ut more suo quam plurimas res cogitatione concipiat ac sibi depingat. Quae cum ita sint, illa exempla, quae supra attulimus, cum Erico Lindskog[7]) et Ricardo Fenger[8]) metonymiae subiun-

[1]) Cf. Bluemner l. s. s. pg. 502.
[2]) Pg. 423.
[3]) Pg. 10.
[4]) Pg. 88.
[5]) Pg. 54.
[6]) Pg. 21.
[7]) L. s. s. pg. 39.
[8]) L. s. s. pg. 28 sqq.

genda constituamus necesse est. Nam proprium est synecdochae quod „a rebus propositis non disceditur, sed ab his ipsis tropus asciscitur, cum in metonymia significandi ratio petamus extrinsecus, ut aliud quiddam pro eo, quod est illustrandum, nominetur".

Quam ob rem ponimus loco metonymiae, quaecunque materiam pro re ex illa confecta ita nominant, ut intellegatur, qualis materia antea fuerit. Idcirco non solum, ubi *elephantus* pro *ebore* (cf. Verg. Aen. III 464; VI 895) *μέλισσα* pro *melle* (Soph. Oe. C. 481), *murex* pro *purpura* vel *veste purpurea* (cf. Silius Punic. IV 324 et XV 205) exstant, per hunc tropum intellegimus, vero etiam ea, quae e Martiale excerpsimus: *accipe felices, Atlantica munera, silvas,* i. e. mensam citream XIV 89; *accipe lunata scriptum testudine sigma,* i. e. accipe lectum semirotundum pictum testudinis putaminibus in laminas rotundas resectis XIV 87.[1]) Adicienda praeterea, de quibus supra exposuimus.

Similia alibi invenias apud Martialem velut: *totam Phrixi Iulia nebit ovem* VI 3, 6; quae sententia spectat ad filium Domitiani ex Domitia uxore nasciturum, pro quo Iulia, quam, delicias et amores suos, imperator mature decessisse vehementer doluit, quasi dea Parcarum loco vellus aureum 'nere' dicitur, i. e. orare atque obsecrare, ut omnia ei bene vertant. 'Ovis' igitur 'Phrixi' idem significat ac 'vellus aureum'. Quocum coniunctum est vicinitatis vinculo hoc: *hic qui dura sedens porrecto saxa leone mitigat* IX 43, 1, i. e. leonis pelle.

Nam ut ibi *ovem*, ita hic *leonem*, quanquam iam animas ediderunt, poëta fingit cogitatione tamen viventes, ex quo

[1]) Quanquam non certum est, quomodo sit hic versus intellegendus, quod viri docti nesciunt, qua ratione 'scriptum' explicandum sit. Conferas Friedlaenderi in hunc locum adnotationem. Nos quidem Gronovium sequimur, primum, quod eius explicatio non est artificiosa, tum commoti eadem Statii dicendi ratione.

efficitur, ut in similibus exemplis totum pro parte positum esse conicere non liceat.[1])

Huc denique referendum videtur esse, sicubi pro aqua e fonte hausta is ipse exstat (cf. Verg. Aen. II 686, XII 119). Qui cum proprie locum, unde effunditur aqua, significet, cur per metonymiam a grammaticis intellegatur est perspicuum. Nam ponitur pro re id, unde sumitur.[2]) Sed quod cum fontem dicimus, non solum de loco, sed etiam de aqua, quae prorumpit, cogitamus, apparet, quare id verbum etiam synecdochae subiungatur. Nam pro parte videtur totum poni. Atque merito hunc tropum inveniri dicimus, cum fons non pro aqua ex illo ipso hausta exstat, sed pro ea generaliter collocatur (cf. Mart. IX 75, 9). Quibus locis speciem pro genere exstantem invenias.

§ 4.

Satis dictum esse arbitramur de prima et altera synecdochae forma, deinceps, ut erat propositum, de tertia parte paucis disputetur. Ac primum quidem ad ea exempla, de quibus controversia est, utrum per tropum intellegenda sint necne,[3]) transeamus, quae scriptores, potissimum vel, ut sermone Graeco utamur, *κατ' ἐξοχὴν* eligunt ea ratione, ut verbum premant et quasi cum vi dicant. Sic Graeci verbum poetae enuntiantes de nullo alio cogitabant nisi de Homero, et Romani urbem dicentes Romani ipsam in animo habebant. Quae locutiones, quo tempore et ubi exstiterint, permagni momenti esse Lindskog[4]) recte perspexit. Velut incolae, qui initio Latium incoluerunt, ut Romam ab aliis oppidis distinguerent, primo eam vocabant urbem, tum, cum illud vocabulum increbuisset atque in communem usum cessisset, ii, qui sub im-

[1]) Hoc contra Ricardum Fenger (l. s. s. pg. 29).
[2]) Lindskog pg. 39 sqq.
[3]) Velut Straub talia per synecdocham intellegit l. s. s. pg. 10.
[4]) L. s. s. pg. 11.

perium Romanorum redacti sunt, urbem dicentes de nulla alia re cogitabant nisi de Roma. In his igitur videmus nullum tropum.

§ 5.

Habetis de natura tertiae synecdochicae formae quid sentiamus; nunc generatim de quarta exponamus. — Huc nescio an loci revocandi sint, ubi substantivum quoddam epitheto speciali ita illustratur, ut species pro genere exstare videatur. Qualia varia ratione intellegi possunt. Nam ex parte sunt illa proprie dicta, quale est hoc: *nigri Syra defruti lagona* Mart. IV 46, 9, ubi cogitat poëta revera de Syra lagona. Interdum fit, ut incertum sit, utrum talia proprie an translaticie collocata sint. Quam quaestionem solvere non possumus, nisi cum certo argumento nitimur, velut Mart. II 40, 5 et 6: *Caecuba saccentur quaeque annus coxit Opimi condantur parco fusca Falerna vitro.* Quaeritur, utrum poëta revera hoc vinum dicat necne. At iam Plinii temporibus id non esse cultum constat.[1]) Qua ex re colligi potest Martialem vinum Caecubum non idcirco affere, ut certum genus designetur, sed quod illis temporibus idem tanta laude floruit, ut antiqui, cum de bono vetustoque dicebant, de Caecubo cogitare solerent. Ex quo efficitur, ut 'in illo adiectivo', cum vinum optimum nomen ducat e regione, ubi crescit, 'metonymiae id genus lateat, per quod loco nominando id, quod ibi est vel fit, indicatur.'[2])

§ 6.

Atque ut ad extremum perveniamus, quaerendum nobis videtur esse, num sint illa, ubi pro indefinito numero collocatur definitus, ad tropos referenda. Id quidem negat Ericus Lindskog.[3]) Sed quod dicit, ut sententiam

[1]) Cf. Friedlaenderi commentarios.
[2]) Lindskog L. s. s. pg. 12.
[3] Pg. 14.

suam demonstret, non esse tropica ea verba, quae non 'a principio et propria vi sua' fuerint eiusmodi, eo decipitur. Nam omnes tropi sunt conformati sive ratione dicendi poëtarum propria sive cotidiani generis sermone. Nec negabitis, si comoedias perlegeritis et Plauti et Terenti orationem ad vulgarem sensum accommodantium, communem sermonis consuetudinem permultum valere ad tropos excolendos, cum haec id quam maxime spectet, ut res et ante oculos ponat et summo colore illustret. Cuiusmodi sunt profecto, ubicunque pro incerto numero collocatur certus.

Sed illa quanquam aliquatenus ad synecdocham spectare videntur, tamen potius attribuimus hyperbolae, quae quidem vicina ac finitima est illi idcirco, quod res per eam ipsam enuntiata quasi pars est eius rei, quae in oratione ponitur. Nam hyperbola, ut Bedam sequamur,[1]) cum sit *dictio fidem excedens augendi minuendive causa*, vel ut Quintiliani[2]) verbis utamur, *decens veri superiectio*, non est cur talia, ubi numeris certis pro incertis positis poëtae nihil aliud spectant, nisi ut aliquid in maius extollant vel imminuant, huic tropo subiungamus.[3]) Cuius apud Martialem usus luculentis exemplis illustretur. Exstant haec: *mille*: IV 71, 5; V 22, 9; VI 93, 11; VII 20, 13; VII 97, 5; IX 67, 3; IX 92, 10; X 10, 2; XI 31, 3; XI 100, 5; XII 26, 4; XII 82, 14; XIII 30; XIV 222. — *trecenti*: III 93, 1; IX 19, 1; XI 35, 1. — *ducenti*: III 93, 18; VII 20, 20. — *centum*: V 9, 2; V 9, 3; VII 95, 14; VIII 44, 11; IX 22, 5; IX 37, 4; vel *centies*: VI 49, 5; VIII 42, 3. — *quindecim*: XI 6, 13; — *quindecies* VII 10, 15. — *decem*: V 12, 7; VI 20, 4; VIII 7, 2; IX 100, 4. — *decies*: II 67, 3; III 52, 3; IV 78, 7; IX 93, 5; XII 56, 1. *ter*:

[1]) Apud Halm 615.
[2]) VIII 6, 67.
[3]) Cf. Egli, Die Hyperbel in den Komödien des Plautus und in Ciceros Briefen an Atticus (Zug. Progr. 1891/92) pg. 6 sqq.

IX 92, 12. — Interdum fit, ut poëtae, cum proxime ad verum accedere nec velint nec possint, in dubio relinquant sermonem; cf. Mart. I 66, 4; III 38, 11; IV 81, 3; X 56, 2; XI 1, 13; XII 77, 10. —

Cap. IV.

Quae quanquam praeposuimus, tamen nos non tam artis vinculis constrinxisse synecdocham speramus, ut non saepius atque iterum optio detur, utrum haec vel illa res per hunc tropum sit intellegenda an per alium.[1]) Videatis quaeso haec: *lusistis, satis est: lascivi nubite cunni*, i. e. mulieres lascivae Mart. VI 45, 1; *Summoenianis inquinatior buccis*, i. e. meretricibus XI 61, 2; *has petat a nostro Pisa Tonante manus*, i. e. artificem VII 56, 4, de quibus Fenger[2]) disserit, qui dicit ea proprie ad synecdocham, tum ad metonymiam spectare. Sed ex eo, quod supra exposuimus, tantummodo illam constituendam esse, cum poëtae corpori humano vel eius membris tribuant qualitatem, qualis in homine possit esse solo, aut cum res a membris parteve corporis perfici dicantur, quae ab homine gerantur toto, elucet ea exempla magis referenda esse ad illum tropum. Nam, ut versum VII 56, 4 proferamus, non solum artificis manus, vero etiam eius ingenium procreat statuam. E sermonis autem contextu ipso, utrum tropus exstet necne, plerumque concludere possumus. Nam ut alibi, ita hic adducimur praedicati vi potissimum ad synecdocham constituendam.

Atque etiam talia per diversos tropos intellegi possunt, ubi pro iis omnibus, qui eadem indole inter ceteros excellunt, singuli afferuntur, velut Curii, Fabii, Fabricii, Catones, Senecae, Memmii. Nam ex eo, quod ista ratione

[1]) Cf. de hac re Gerber l. s. s. II pg. 49.

[2]) L. s. s. pg. 19.

omnes cuiusdam generis nullo consilio comprehenduntur ac sub uno eodemque aspectu ponuntur, elucet nos in iis omnibus synecdocham constituere posse.

Tum illa, ut Mart. I 24, 3: *qui loquitur Curios adsertoresque Camillos*, i. e. qui dicit de continentia eorumque fortitudine, siquidem poëtas eas virtutes velle e medio tolli censemus, quibus illi, qui nominantur, insignes sunt, metonymice intellegi possunt.[1]) Denique ad metaphoram illa sunt referenda: nam quod Martialis dicit VII 68, 4: *haec ego vel Curio Fabricioque legam* inita subductaque ratione omnes, qui Curio, aliis similes sunt, cum illis confert.

Cap. V.

§ 1.

Ab hac disputatione tamquam idoneo fundamento profecti ad carminum Martialis synecdocham ipsam transeamus. Ac primum quidem afferamus verba, ubi pars ponitur pro toto. Exeat autem haec disputatio ab iis, quae ipsi oculis cernimus locum vel spatium significantia. Sic *caelum* iis, quae proprie eius partes sunt, et *polo* et *astris* vel *sideribus* designatur. *Getici sidera pigra poli*: VI 58, 2; *addita quid Latio Flavia templa polo?* IX 3, 12; *astrifero — polo* IX 20, 6; *videt Augusti Flavia templa poli* IX 34, 2; *Getici tuleras sidera pigra poli* IX 45, 2; *celsi lucida signa poli?* IX 71, 8; *antiqui rex magne poli* XII 62, 1. Tum *astris* subiecta est eadem notio his locis: *ad cenam si me diversa vocaret in astra hinc invitator Caesaris, inde Iovis* IX 91, 1 et 2. Porro *astra*[2]) *polumque* coniuncta his

[1]) Cf. Fenger l. s. s. pg. 13.

[2]) Hyperbolice ad altitudinem satis magnam illustrandam similiter haec dicta sunt: *at nunc Alciden taurus in astra tulit* l. sp. XVI b 2; *sustulerat raptas taurus in astra pilas* l. sp. 19, 2; *missus in astra* I 3, 8; *quod* (sc. *nomen*) *pinna scribente grues ad sidera tollant* IX 13, 7; *hinc proprie summa rapax milvus ad astra volat* IX 54, 10; *sic viret et ramis sidera celsa petit* IX 61, 10. — Ad gloriam immor-

locis invenis: *astra polumque dedit . . . . Alcidae Nemees terror* V 65, 1 et 2; *astra polumque pia cepisti mente Rabiri* VII 56, 1. — Huc item hoc refertur[1]): *quaeque tulit, spectat resupino sidera vultu*, i. e. Hercules IX 43, 3.

Atque a *caelo* descendimus ad *terram*. *Iugi* enim vocabulo subiecta est vis collis vel montis: *tigris ab Hyrcano gloria rara iugo* l. spect. 18, 2; *uva nec in Tuscis nascitur ista iugis* I 26, 6;[2]) *in Libycis . . . iugis* II 75, 4; *haec iuga, quam Nysae colles, plus Bacchus amavit* IV 44, 3. *Hilarus . . . iuga laeta tenet* VI 73, 4; *Massyli leo fama iugi* IX 71, 1; *picta . . . pampineis videris arva iugis* X 93, 2. — Tum pro agro ponit Martialis *glebam*: *magnaque Niliacae servit tibi gleba Syenes* V 13, 7.

Ac saepissime cum alii poëtae aetatis argenteae quam vocant tum Martialis idem de quo disputamus tropi genus ponit ad totam terram significandam singularum eius partium nomina, ut urbis sive insulae. Conferas quaeso haec: . . . *namque in Mareotide fusca pulchrior est, quanto rarior iste color* IV 42, 5 sq.; *Romam cum peteret Pharo relicta* (sc. Diodorus) IX 40, 2; quae omnia verba referuntur ad Aegyptum.

Martialis autem alios etiam in eo sequitur, quod ea ratione non solum substantivo, sed etiam adiectivo vim synecdochae tribuit, quam appellari liceat attributivam.

1. Ac primum quidem ea vocabula afferamus, quae ad Europam spectant, velut apud Martialem *Ausonius* idem valet atque Italicus: *Ausonias . . . . vias?* VII 6, 2; *Ausoniae*

---

talem designandam eadem fere ratione haec exstant, quae per similitudinem quandam intellegimus: *(pendentia Mausolea) laudibus immodicis Cares in astra ferant* l. sp. I 6; *nec minor Alcestin fama sub astra ferat* IV 75, 6.

[1]) Hercules enim humeris caelum sustulisse dicitur, ad quod nunc suspicit.

[2]) Nam vinum non modo crescit summo in monte, verum etiam in eius fastigio.

. . . . *fama viae* IX 101, 2.[1]) Porro moneatur ut apud alios poëtas, ita apud hunc exstare *Hiberus* pro Hispanicus: *reddatur si pugna triplex pastoris Hiberi*, i. e. Geryonis V 65, 11; *sancta Salonini terris requiescit Hiberis* (sc. umbra) VI 18, 1; *ille meas gentes et Celtas rexit Hiberos* VII 52, 3; *in terris — Hiberis* X 20, 5.[2]) Eadem autem vis est paene in adiectivo *Tartesiacus; in Tartesiacis domus est notissima terris* IX 61, 1, i. e. Baeticis vel Hispanicis; quae sententia refertur ad platanum in aula domus quae sita fuit Cordubae satam. Addatur hoc: *nec Tartesiacis Pallas tua, Fusce, trapetis* (sc. *cedat*) VII 28, 3. Qui versus, cum Pallas metonymice exstet pro oleo, sic est intellegendus: ne cedat bonitate tuum oleum ei, quod capitur in provincia Baetica; constat enim oleum Baeticum inter cetera eminuisse (cfr. XII 63, 1): e quo elucet *Tartesiacus* idem esse ac Baeticus vel Hispanicus. Addas porro: *Tartesiacus stabuli nutritor Hiberi* VIII 28, 5, ubi eadem notio subiecta est illi adiectivo. Quod quid significet hoc loco, e sententia versus ipsa patet. Baetis enim nutritor stabuli, i. e. gregis, nominatur *Tartesiacus*, quod ex eius aquis oves Baeticae, quarum lanam celeberrimam fuisse constat, hauserunt, e quo intellegitur *Tartesiacus* idem esse ac Baeticus. — Pro

---

[1]) Plerumque *Ausonius* idem est ac Romanus apud Martialem: *sic* (scil. ut Pompulli libri) *leve flavorum valeat genus Usiporum, quisquis et Ausonium non amat imperium* VI 60, 3 et 4; haec enim est sententia: utinam pereant hostes populi Romani, ut scripta eius, in quem invehitur poëta. — Legas porro *Silius, Ausonio non semel ore potens* IX 86, 2; i. e. Romano, nam Silius clarissimus fuit et orator et poëta Romanus. Similiter exstat: *[Liber] qui quatis Ausonia verbera Graia manu* IX 72, 2. Liber enim fuit amicus Martialis, qui ut pugil Romanus dicitur eadem certamina exercuisse ac Graeci. Adiciantur haec: VIII 21, 10; VIII 55, 5; IX 8, 6; XIV 53, 1. Eodem quoque modo collocatur *Latius: Latiae . . . togae* VII 5, 2; *Latia . . . toga* VII 63, 2; *Latias . . . tribus* VIII 15, 4; *Latium . . . . forum* X 37, 2.

[2]) Idem vocabulum usurpatur substantivi nominis loco, id quod ex hoc apparet: *Palma regit nostros, mitissime Caesar, Hiberos* XII 9, 1.

Graecus deinde ponuntur ut ab aliis poëtis, ita a Martiale *Argivus* et *Argolicus*: *Argivas generatus inter urbes* IV 55, 4; *nec tener Argolica missus de gente minister* IV 66, 9. Conferas quaeso praeterea haec: *Parrhasia . . . . sub ursa* IV 11, 3; *Parrhasios . . . . triones* VI 58, 1; *Parrhasio . . . iugo* VI 25, 2, ubi *Parrhasius* idem est atque Arcadius vel septentrionalis. Nam arctos, quae illis locis intellegitur, capit nomen e Callisto, filia Lycaonis, Arcadum regis, quae ad caelum ablata et inter stellas collocata est. — Tum *Odrysius* idem valet ac Thracicus vel potius septentrionalis: *victor ab Odrysio redditur orbe deus* VII 8, 2; similiter dictum est: *quatenus Odrysios iam pax Romana triones* (sc. *temperat*), i. e. omnes terras, quae ad septentrionem spectant (VII 80,1); *nomen, ab Odrysio quod deus orbe tulit* IX 93, 8; *quicunque Odrysias bibunt pruinas* X 7, 2. Nam hi omnes loci, in quibus *Odrysius* exstat, pertinent ad illam expeditionem, quam imperator Domitianus contra Sarmatas suscepit. — Eademque fere ratione hi versus sunt intellegendi: *Getici sidera pigra poli* VI 58, 2, quae verba ad Aulum Pudentem referuntur, qui in Pannonia stipendia meruit. — *Getici tuleras sidera pigra poli* IX 45, 2, i. e. in bello cum Sarmatis gesto; omnino autem *Geticus* pro 'septentrionalis' collocatur: *sed meus in Geticis ad Martia signa pruinis* XI 3, 3.

2. Deinde afferantur ea adiectiva, quae ad Africam spectant. *Massylus* enim exstat pro 'Africanus' vel 'Numidicus'. *Massyla per avia* VIII 55, 1; *Massyla — virga* IX 22, 14;[1]) *Massyli — iugi* IX 71, 1; *Massylus — serpens* X 94, 1; *Massyli poma draconis* XIII 37, 2; *Maurus* idem est ac 'Libycus': *Mauri . . . . orbes* IX 22, 5;[2]) *silvae filia Maurae* XIV 90, 1.[2]) Similiter *Mareoticus, Paraetonius, Memphiticus* idem significant atque 'Aegyptiacus': VIII 36, 3; XIV 209, 1; X 26, 1; *navita — Memphiticus* VI 80, 3; *Memphitica tellus* XIV 38, 1; eademque notio subiecta est adiectivis: *Nilotis, Niliacus, Memphitis*: *picti tunica Nilotide Mauri* X 6, 7; *Niliaco redeas tu licet ore niger* X 12, 12 (cfr. *Niliacae . . . iuvencae* VIII 81, 2); *haec tibi Memphitis tellus dat munera* XIV 150. Huc spectat item, quod *Pharius* eandem vim accipit, velut: *qui* (*Antonius*) *Phariae coniugis arma tulit* IV 11, 4, i. e. Cleopatrae; *Antoni Phario nihil obiecture Pothino et levius tabula quam Cicerone nocens* V 69, 1; *Phariae sua turba iuvencae*, i. e. Isidis X 48, 1; addantur: *Phariis . . . . armis* III 66, 1; *Pharios . . . hortos* VI 80, 3; *de Pharia . . . urbe* VII 30, 3; *Phario — Iove* IX 35, 7.

1) Nam Numidae ante currus equitare solebant.

2) Cfr. II 43, 9: tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes, i. e. tu possides mensarum tabulas e citro Africano vel Libyco confectas, quae in pedibus eburneis positae sunt.

Tum enumerentur adiectiva, quae regiones in Asia sitas illustrant. Pro 'Indicus' exstat *Gangeticus*, pro 'Iudaicus' *Idumaeus*: *in Eois . . . Gangeticus arvis* (raptor) VIII 26, 1; *frater Idumaeos meruit cum patre triumphos* II 2, 5.

Sed ne aberret haec disputatio, sequantur vocabula, quae mare, similia significant. Pro 'mari' enim exstat *fretum*: *obruit Actiaci quod gravis ira freti?* IV 11, 6; *occidit insani crimine mersa freti* IV 63, 2; *[delphin] languida non tacitum per freta vexit onus* VIII 51, 16; adde: l. spect. 24, 4; ibid. 28, 2; V 1, 4; VII 19, 4; X 36, 4; XII 98, 4. Praeterea *unda* idem valet ac 'lacus': *par unda fretis* l. spect. 24, 4; aut 'fons': *tu fueris Musis Pegasis unda meis* IX 58, 6.[1])

Ad alia transeamus: domus enim et templum tum *limine*, tum *tecto*, tum *culmine* designantur. Quod his evincatur: pro 'domo' exstant: 1. *limen*: *protinus* (sc. *liber*) *hunc primae quaeres in limine Tectae* III 5, 5, quem versum iam supra commemoravimus; *intraque limen clusus essedo*

1) Vocem *arenae*, quod illa designat locum, ubi certamine pugnatur, per metonymiam intellegimus. Nam 'saepe pro loco id appellatur, quod in eo loco est' L i n d s k o g pg. 38; F e n g e r l. s. s. pg. 30.

cursus XII 57, 23. 2. *tectum: abstulerat miseris tecta superbus ager* lib. spect. 2, 8; *stantia non poterant tecta probare deos* I 12, 12; *inde petit centum pendentia tecta columnis* II 14, 9, i. e. porticum; *nec nocuit tectis ignis* IV 66, 13; *pendula . . . patriae visere tecta libet* X 20, 2;[1]) *reddita Pierio sunt ubi tecta choro* XII 3, 8, ubi tecta intellegenda sunt primo per synecdocham, tum metaphorice. 3. *culmen: tua patricius culmina vicus habet* VII 73, 2. — Eadem verba ad templum significandum usurpantur; pro eo ponuntur: 1. *limen: limina post Pacis Palladiumque forum* I 2, 8; *nunc tua Caesareis cinguntur limina donis* X 28, 5; adice: XI 47, 4. 2. *tectum: flecte vias hac qua madidi sunt tecta Lyaei* I 70, 9. 3. *culmen*: *quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?* (sc. *tibi solvere potest*) IX 3, 9.

Huc id quoque spectat, quod porticus Vipsana designatur per *columnas qua vicina pluit Vipsanis porta columnis* IV 18, 1,[2]) et basilica Iulia, in qua cogebantur centum virorum quattuor concilia ad causas de testamentis audiendas per *tecta*, sic *infanti Iulia tecta placent* VI 38, 6. — Ac pro domo Neronis aurea exstant: *atria: invidiosa feri radiabant atria regis* l. spect. 2, 3; eademque ratione est intellegendus hic versus: *atria sunt illic consulis alta mei* XII 3, 10. Nam librum, postquam Romam pervenit, poëta adhortatur, suburam adeat; ibi, inquit, mox conspicies atria Stellae consulis, i. e. domum.

Inprimis eae locutiones per synecdochae formam intelleguntur, quae hominibus ad vehendum usui sunt. Quorum loco ponenda sunt n a v i s et c u r r u s. Pro illa enim eius partes commemorantur, velut ea, qua Argonautae vecti sunt, appellatur: *Argoa . . . carina* XIII 72, 1; conferas quaeso praeterea: *haec fuit ignoti prima carina*

---

[1]) Cf. F r i e d l a e n d e r i commentarios; sunt enim domus in collis fastigio exstructae.

[2]) Siquidem B e c k e r u m sequimur (cf. F r i e d l a e n d e r i in hunc locum adnotationem).

maris VII 19, 2; *tuta luditis otium carina* III 67, 9; *minxisti currente semel, Pauline, carina* III 78, 1; *lapsae per Tiberim volent carinae* IV 64, 24; *Tiberinae nauta carinae* X 85, 1; *mersa carina* X 85, 8; *primae dominus levis carinae* XI 1, 12.[1]) — Rarius autem pro nave a Martiale poni *puppim* reperias: *scis, quota de Libyco litore puppis eat* IX 35, 8; *qui videt hinc puppes fluminis, inde maris* (scil. *spectator*) X 51, 10; *emeritam puppim* X 85, 5. — Alia res, qua homines vehuntur, per partem quandam intellegenda est c u r r u s: *Sarmatica*[2]) *rigido ludit in amne rota* VII 80, 8; *illinc te rota tollet* X 104, 5.[3])

Atque etiam eae res, quae in domo sunt, in synecdochae forma ponuntur. *Torus* enim et *sponda* idem valent ac 'lectus': *nec Cilicum spernis Cappadocumque toros* VII 30, 2; *fartus papyro dum tibi torus crescit* VIII 44, 14;[4]) *caleat blando mollis amore torus* VIII 77, 6; *crepet in nostris aurea lamna toris* IX 22, 6; *non venit ad duros pallida cura toros* XIV 162, 2; *iacet in medio sicca puella toro* XI 81, 2.

Afferantur alia exempla, ubi eadem vox primo per synecdocham, tum per metonymiam[5]) intellegitur: *non*

---

[1]) Cfr. F r i e d l a e n d e r i in hunc locum commentarios.

[2]) Cfr. F r i e d l a e n d e r i in hunc locum commentarios.

[3]) Adnotemus haec: . . . *placidi nuncquid te pigra Bootae plaustra vehunt, lento quod nimis axe venis?* VIII 21, 3 et 4, ubi axis idem valet ac currus, si quidem cum G i l b e r t o et L i n d s a i o lectionem codicis T sequimur, cum in ceteris exstet *igne.* Quod nescio an malimus F r i e d l a e n d e r u m secuti scribi, cum illius auctoritas saepius non multum valeat, inprimis ubi non consentit cum reliquis.

[4]) I. e. lectus funebris; cfr. F r i e d l a e n d e r i interpretationem.

[5]) Per metonymiam intellegimus haec: *quae sciet hos illos vendere lena toros?* IX 29, 10, i. e. has illas puellas; nam hic 'res, quae sensibus percipitur, hominem significat' (cfr. L i n d s k o g pg. 54). Sub eandem rationem cadit, ubi *torus* est idem atque amor vel amores: *primos passa toros* IV 22, 1 (cfr. F e n g e r l. s. s. pg. 35); *primis . . . coiere toris* VII 74, 8; *tori nox mitis* X 71, 5; nam 'metonymia ver-

tristis torus X 47, 10; *funeream . . . toris quassat uterque facem* VIII 43, 2, quo loco Fabius et Chrestilla dicuntur funeream toris quassare facem, quae verba ut *rursus et in similes decidis usque toros* VII 58, 6 non solum synecdochice, sed etiam metonymice sunt dicta. Nam ut ibi haec est sententia 'tu, ubi primum deseruisti mollem maritum, te das rursus simili', hic Fabius et Chrestilla, cum e medio tollant coniuges, matrimonio finem praematurum constituere feruntur; nam 'facibus accensis elatos fuisse mortuos' inter omnes constat.[1]) — Rarius autem *sponda* designat 'lectum' X 5, 9; XIV 85; III 91, 9.

Nunc perveniamus ad res, quae temporis notione continentur. Quibusdam enim verbis vocabula a Martiale tribuuntur, quae pro toto temporis spatio exstantia proprie aliquam eius partem significant. Sic ponuntur pro toto anno *aestas* et *December*: *hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres* III 36, 7; *duxit . . . aestates synthesis una decem* IV 66, 4; *multos . . . post Decembres* XII 18, 7. Interdum Martialis, ut animos legentium copia rerum delectet, duo inter se diversa verba affert per eundem tropum intellegenda: *quattuor hic aestate togae pluresve teruntur, autumnis ibi me quattuor una tegit* X 96, 11 et 12; nam ratio, quae in his versibus interest inter I et IV, postulat, ut eos intellegamus non alio modo nisi hoc: ut Romae, ubi me in publicum prodire saepissime necessarium est, tero per unum annum quattuor togas, ita Bilbili, ubi publico me abstineo, per quattuor induor una.

Eandem autem vim verbi *messis* esse ex his patet: *quarta tribus lustris addita messis erat* I 101, 4; *bis senis modo messibus peractis* VI 28, 8; *sexagesima, Marciane, messis acta est et, puto, iam secunda Cottae* VI 70, 1 et 2;

satur in rebus, quarum altera in sensus cadit, cum hoc alteri non item contingat' L i n d s k o g pg. 47.

[1]) Cfr. Schrevelii commentarios.

triginta mihi quattuorque messes tecum, si memini, fuere, Iuli XII 34, 1 et 2.

Saepissime a Martiale *bruma* commemoratur, ubi idem valet atque annus totus: *tecum ter denas numeravi, Postume, brumas* IV 40, 5; *ante brumas triginta . . . quattuor* X 104, 9 et 10.

Interdum ipsae anni partes per commutationem intelleguntur, sicut: *cum bruma mensem sit tibi per Augustum* III 93, 16,[1]) i. e. hiems; *Herculeos colles gelida vos vincite bruma* IV 57, 9; *impletura fuit sextae modo frigora brumae* V 34, 5; *tu Romanae iussus iam cedere brumae* VI 80, 9; *te bis decimae numerantem frigora brumae* VII 65, 1; *dat festinatas, Caesar, tibi bruma coronas* XIII 127; *qui venit botulus mediae tibi tempore brumae* XIV 72.

Praeterea ad mensem totum designandum exstant Kalendae: *transierant binae forsan trinaeve Kalendae* X 75, 7; *interdum aureolos manu crepantes, possint ducere qui duas Kalendas* XII 36, 3 et 4, i. e. duos menses.[2])

Sed nunc propositum est nobis pauca exempla addere, quae, quanquam sub eandem rationem cadunt, non similia sunt eorum, quae supra commemoravimus. Apud Martialem enim scriptum videmus: *ante equos omnes* VIII 44, 6 id quod idem valet atque 'omnes statuas equestres'.[3])

[1]) Propria illius vocabuli significatio ex his elucet: *post Novembres imminente iam bruma* III 58, 8; *bruma est et riget horridus December* VII 95, 1; *December longus et madens bruma* (sc. *triste frigus extendat*) X 5, 6; vere metonymice est dicta *bruma*, cum pro hiemis frigore exstat: *pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam* VIII 14, 1; *invida purpureos urat ne bruma racemos* VIII 68, 3.

[2]) Tum hic locus metonymice intellegendus est; nam haec est sententia: nummi cotidianis duorum mensium sumptibus suppetunt (cfr. F e n g e r l. s. s. pg. 38).

[3]) Addit hoc loco L i n d s k o g exempla, qualia sunt: *Italiam concepit et ,Arma Virumque'* VIII 56, 19; *ne nucibus positis, ,Arma Virumque' legas* XIV 185. Nec tamen nos referimus illa ad synecdocham. Nam cum non eadem ratione, qua *tectum* collocatur pro domo, i. e. pars pro toto, 'Arma virumque', quod est primordium

Tum collocantur *palmites* pro vinea: *non horti neque palmitis beati* (sc. *custos* VIII 40, 1); pro palmite *vitis*: *vite nocens rosa* III 24, 1; *Paraetonias Latia modo vite per urbes nobilis* X 26, 1 et 2; *vitis et in media nata palude viret* XIII 115. Addantur in quibus sepulcrum rotundae figurae nominatur tholus: *ex me Caesareum prospicis ecce tholum* II 59, 2, siquidem Friedlaenderi commentarios sequimur, qui Martialis verba ad Augusti mausoleum spectare censet.[1])

§ 2.

Postquam de rebus inanimis diximus, restat, ut de animalibus nonnulla afferamus.

Pro equo enim usurpatur *ungula*, pro elephanto *dens*: *pulvereumque fugax hippodromon ungula plaudit* XII 50, 5; (*venatio*) *dentis Erythraei* XIII 100. Nec multum ab illis abhorret hoc: *talibus et fibris numina prisca coli* (scil. *ratus*) i. e. intestinis III 24, 12.

Plurima autem exempla simili modo ad hominem referuntur saepe sic, ut nos dicimus 'Person': *lusistis, satis est: lascivi nubite cunni,* i. e. mulieres lascivae,[2]) VI 45, 1[2]); *coepisti puras opibus corrumpere buccas,* i. e. vir-

Aeneidis, pro ea ipsa exstet, sed altera notio pro altera, *περίφρασιν* vel circumlocutionem constituimus. Quam Quintilianus (l. s. s. VIII 6, 59) sic definit: *pluribus verbis, cum id, quod uno aut paucioribus certe dici potest, explicatur, περίφρασιν vocant, circuitum quendam eloquendi.*

[1]) Dubitavi haec addere, quamquam pars pro toto posita videtur esse: *parvi tibia condyli sonabit* V 78, 30, quod verbum proprie dictum significat calami nodum, hoc loco translate totum calamum. Qui locus enarrandus doctis iam pridem magnum negotium facessivit, ac primum quidem quod ista ratione 'tibia condyli' alibi coniuncta non inveniuntur. Accedit, quod post versum 26, quo afferuntur 'de Gadibus' puellae, desideratur is, qui tibia canit. Quae omnes difficultates remotae sunt, simulac cum Aemilio Stephani (Bresl. phil. Abhdlg. IV 2, 1889 pg. 86), scribimus 'Condyli', quod nomen servorum non insolitum fuisse e IX 92 apparet.

[2]) De his supra disputavimus.

gines III 75, 5; *Summoenianis inquinatior buccis,* i. e. meretricibus XI 61, 2[1]); adiungas porro: *nec esculenta sufficit gulae praeda,* i. e. helluoni VII 20, 18; *invisum pueris virginibusque caput* IX 68, 2; similiter dictum est: *mammas . . . habet Afra* I 100, 1, i. e. matres. Neque haec multum discrepant: *illa manus quondam studiorum fida meorum,* i. e. ille servus amanuensis I 101, 1; *has petat a nostro Pisa Tonante manus,* i. e. artificem VII 56, 4.[1]) Sic indentidem pro corpore membrum eius usurpatur: *ille sacri lateris custos* VI 76, 1[2]); *deinde experta latus* i. e. corpus VII 58, 3; *iuvat admissa rumpere luce latus* XI 104, 6; *rumpis, Basse, latus* XII 97, 4.[3]) Tum pars membri id ipsum significat, velut saepius pro pene aut *vena* aut *inguen* exstant: *o quotiens rigida pulsabis pallia vena* XI 16, 5; . . . *inguina saltem parce fututrici sollicitare manu* XI 22, 3 sqq.; addas porro VII 18, 6; VII 30, 5; VII 35, 1; VII 58, 4. Pro capite praeterea ponitur *vertex*: *nec vertice moto* IV 3, 3; *hos tibi, Phoebe, vovet totos a vertice crines* (Encolpus) I 31, 1; *toto vertice quot gerit capillos* XII 7, 1. Ad idem praeterea nomen designandum *vultus* quoque vocem Martialis ponit: *abscidit vultus ensis uterque sacros* III 66, 2. — Afferatur nunc exemplum, quo totum saepe singulis eius partibus illustrari apparet: *et vultu poteram tuo carere, et collo manibusque cruribusque, et mammis natibusque clunibusque; et, ne singula persequi laborem, tota te poteram, Chloë, carere* III 53, 1 sqq.

[1]) De his supra disputavimus.

[2]) In metaphora versatur: *haerere tuo lateri* sqq. *iubes* IX 100, 3, i. e. iubes me non discedere, sed vestigiis tuis insistere.

[3]) i. e. corpus nimis laborando fatigare ac debilitare (cfr. Friedlaenderi in I 49, 25 adnotationem).

Cap. VI.

Conquirenti iam, num exempla contrariam formam praebentia apud Martialem reperiantur, pauca occurrunt. Non nunquam autem viri docti in hac specie versari opinantur ea, quae potius cum L i n d s k o g i o metonymiae subiungimus. Plurimi enim grammatici per hunc tropum intellegunt, cum *elephas* pro ebore, similia ponuntur.[1] Qua de sententia supra disputavimus. Quibus praemissis restat, ut ea verba, quae ad synecdocham referenda sunt, commemoremus. Ut enim apud Vergilium (A. I 114): *ingens a vertice pontus in puppim ferit,* i. e. aquae vis magna[2] scriptum videmus, ita apud Martialem: *mersus fluctibus obrutusque ponto* IX 40, 7 exstat, ubi totum excipit partem. Tum collocantur ab hoc poëta *aequor* pro aqua e mari hausta: *spirat in advecto . . . aequore mullus* XIII 79, 1; *mons* pro saxo: *inquieti monte Sisyphi pressus* X 5, 15; *vinea* pro vite: *vinea quod primis cum floret cana racemis* III 65, 3; *silva* pro fronde: *cedentes oneri ramos silvamque fluentem* XI 41, 3; *thalamus* pro lecto: *ne vagus a thalamis coniugis erret amor* XII 96, 8; *genus* pro progenie: *Ledae poteras dissociare genus,* quo significantur Castor et Pollux, Ledae filii, VII 24, 6. — Huc accedant nomina propria: *Hesperius* idem est atque *Hispanicus* VIII 78, 6; IX 61, 4; IX 101, 10; XIII 40, 2. *Libys* idem valet ac Numidicus: *Libys in longo pulvere sudet eques* X 13, 2.

Cap. VII.

§ 1.

Deinceps, ut erat propositum, de iis verbis dicendum est, in quibus genus pro specie ponitur. Quod synecdochae genus nanciscimur, ubi res, quae quanquam in ceteris dissimillimae, tamen nexu quodam notarum ex iis

[1] Vide L i n d s k o g pg. 20.
[2] Charisius ap. Keil I 274.

excellentium coniunctae sunt. In quibus forma efficit, ut notio quaedam verbo subiciatur. Quod e voce *orbis* intellegimus, quae apud Martialem triplicia significat. Ac primum quidem ex eo, quod orbis rotundus est, cur hoc vocabulo terra universa designetur, apparet. Cuiusmodi haec exstant: *toto notus in orbe Martialis* I 1, 2; *illam* (scil. *manum*) *qua nihil est in orbe maius* IV 30, 5; *toto legor orbe frequens* V 13, 3; *qualiscunque legaris ut per orbem* V 60, 5; *quid mirum toto si spargitur orbe?* V 74, 3; *quique regas orbem cum seniore senex* VI 3, 4; *nomen toto sparget in orbe suum* VI 60, 2; *quae cantaberis orbe nota toto* (scil. bibliotheca) VII 17, 10; *quo nemo est toto notior orbe puer* VII 29, 2; *adserto . . . orbe* VII 63, 10; *clarius in toto nil videt orbe dies* VIII 36, 4; *orbe cantor et legor toto* VIII 61, 3; *parens orbis* IX 6, 1; *hic steterat veneranda domus, quae praestitit orbi* IX 20, 5; *perdomito victor in orbe* IX 43, 8; *in . . . suo tertius orbe fuit* IX 101, 16. — Fieri autem interdum, ut per id synecdochae genus, de quo supra diximus, quod in toto pro parte ponendo versatur, orbis non terram universam, sed quandam eius partem significet, haec docent: *victor ab Odrysio redditur orbe deus* VII 8, 2; *nec fuit in nostro certior orbe fides* VII 52, 4; *Hesperio qui sonat orbe Tagus* VIII 78, 6; *ab Odrysio . . . orbe* IX 93, 8; *Hyperboreo . . . ab orbe* IX 101, 20. — *Orbis* praeterea idem est ac mensa vel orbis mensae; conferas quaeso haec: *tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes* II 43, 9; *Mauri . . . orbes* IX 22, 5; *mensas et opertos exuit orbes* IX 59, 7; ubi pars totum excipit; *orbibus in nostris circulus esse potest* XIV 138. — Uno autem loco Martialis s p e c u l u m appellat *orbem*: *addidit et nitidum sacratis crinibus orbem* IX 17, 5.

Atque ut ibi mensa rotunda et speculum ex similitudine quadam capiunt nomen *orbis*, ita e forma sua monumentum quoddam ducit nomen *pilae*: *Tiburtinae . . . proximus accolae pilae* V 22, 3. —

Porro hoc loco addatur *plaga*, quod vocabulum idem significat ac campus: *Elysiae vidi nubila fusca plagae* VI 58, 4. Atque ut in aliorum, ita in Martialis officina rhetorica invenitur *aequor* pro mari exstans: *specta, dum lassant aequora Martem* l. spect. 24, 5; *lusit Nereïdum docilis chorus aequore toto* l. spect. 26, 1; *aequora per Scyllae,* i. e. per mare Siculum VII 44, 5; *piscator ferat aequorum rapinas* X 87, 18. — Quodam autem loco Martialis turbam ac tumultum Romae viarum confert cum mari, quod ille ex eius proprietate appellat *altum: iactamur in alto* X 58, 7, quod idcirco primum per synecdocham, deinde per metaphoram intellegimus.

§ 2.

Tum omnino huc spectant ea exempla, quae materiam pro re ex ea confecta praebent, velut clava appellatur *robur*: *cuius laeva calet robore* IX 43, 4. Praeterea commemoranda videntur ea, e quibus apparat *citrum* idem significare quod mensae citreae: *testudineum mensus quater hexaclinon ingemuit citro non satis esse suo* IX 59, 9 et 10; *nobilius . . . citrum* X 80,2; *citrum vetus Indicosque dentes?* X 98, 6; *Maurusiaci pondera rara citri* XII 66, 6; *nobilius villosa tegant tibi lintea citrum* XIV 138. Neque haec multum distant: *rugosarum vimen breve Picenarum* IV 88, 7; *semodiusque fabae cum vimine Picenarum* VII 53, 5. — Tum addantur *harundo* et *calamus,* quibus verbis in Martialis carminibus designantur eae res, quae ex illis conficiuntur. Quae significant tum stilum: I 3, 10; VII 11, 1; VII 17, 7; IX 13, 3; IX 73, 9; XIV 209; XIV (20); tum virgam viscatam: IX 54, 3; XIII 68; XIV (217); tum sagittam: X 15, 1; tum hamum piscarium IV 30, 9. — *Avena* autem et *fistula* exstant pro tibia his locis: *angusta cantare licet videaris avena, dum tua multorum vincat avena tubas* VIII 3, 21 et 22; *terruit et tacitam fistula sera domum* IX 61, 12.

Deinde pertinent huc metalla, e quibus res confici possunt, velut *ferrum* idem significat quod culter, securis, gladius, veru. E quibus notionibus invenis unam apud Martialem his locis: *demens, cum ferro quid tibi?* II 45, 2; *occupat hanc* (sc. *hirneam*) *ferro rusticus* III 24, 10; *Phrygiumque matris Almo . . . lavat ferrum* III 47, 2; *continuo ferrum noxia turba rapit* III 91, 8; *vix tangente vagos ferro resecare capillos* VI 52, 3; *et quae non egeant ferro structoris ofellae* X 48, 15. — Altera subiecta est huic: *ne metuas ferrum* IX 61, 20. — Tertiam reperis in his: *meque potes stricto medium transfigere ferro* V 50, 3; *iam ferro non opus esse docet* IX 31, 10; *nulla est insania ferri* IX 70, 7; *otia ferro . . .* (sc. *dedit*) IX 101, 21. Ad veru refertur hoc: *librato . . . ferro* l. spect. 13, 3.

Item *aes* usurpatur ad res ex aere confectas: *redde pilam: sonat aes thermarum* XIV 163, i. e. tintinnabulum, quod ad balnea invitat, quae certo tempore clauduntur; similiter exstat: *celer arguto . . . sonat aere trochus;* i. e. tintinnabulis ex aere confectis XI 21, 2; neque aliter dicta sunt: *aera . . . a cuneis ulteriora petis,* I 26, 4, i. e. tesseras aëneas; *concrepat aera manu,* i. e. crotola aënea XI 16, 4; *centum aureolos sic velut aera roget,* i. e. nummos ex aere confectos XI 27, 12. Non semel illud vocabulum idem valet ac pecunia; ac primum quidem exstat pro asse minimi pretii, ut nos dicimus: Dreier: *aes dabit ex istis nulla puella tibi* I 76, 4; *aera domi non sunt:* VII 16, 1; *amphora vigessi, modius datur aere quaterno* XII 76, 1. Deinde collocatur pro nummo cuiusvis generis, quod ex his elucet: *aes dabo pro nugis?* IV 72, 3; *illic aera sonant* I 76, 13; *potius plenos aere relinque cados* VI 27, 6; [*ut*] *sordida vagitu posceret aera* IX 8, 4.

Sed iam materia mihi crescit. Pro vasis enim et similibus rebus ex argento factis id ipsum usurpatur: *libra . . . argenti milia quinque rapit* III 62, 4; *argentum tamen inter omne miror, quare non habeas, Charine, purum*

IV 39, 9 et 10; *argentum, mensas, praedia solus emit* VI 50, 4; *argenti furiosa sui . . . stemmata narrat* VIII 6, 3; *archetypum Myos argentum te dicis habere* VIII 34, 1.[1])

Nec minus aurum per idem tropi genus intellegitur: *quod non argentum, quod non tibi mittimus aurum*, i. e. vasa aurea V 59, 1; *argentum atque aurum non simplex Delphica portat* XII 66, 7; similiter exstant: *hic colat Albano Tritonida . . . in auro* IV 1, 5, i. e. in corona aurea, eodemque modo: *o cui virgineo flavescere contigit auro* IX 23, 1, quo 'versu e pluribus tropis quasi conflato coronam oleagineam commemorari' Lindskog dicit. — Sic vellus aureum appellatur: *non Athamanteo potius me mirer in auro* VIII 28, 19.

Adde: *nec murrina picta nec aurum* (*sume*) XIII, 110, 1. Quo loco quae sit vis vocis auri cognosci potest ex eo, quod murrina intelleguntur vasa, quae e murra confecta tanti aestimata sunt quanti aurea. Eiusmodi autem est, quod scriptum videmus: *miratur Scythicas virentis auri flammas Iuppiter* XII 15, 3 et 4, quo significantur vasa aurea, quae e smaragdo viridi hunc colorem retinent, eadem autem ratione exstat *gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum* XIV 109. — Ad pocula aurea spectat: *vis in auro?* X 49, 4, ad nummos eiusdem metalli *ferventis auri . . saccos?* X 74, 6; *impius infando miles corrumpitur auro* V 69, 5.[2])

Deinde vasa e crystallo confecta ipsa materia designantur: *candida nigrescant vetulo crystalla Falerno* VIII 77, 5; *magna . . . crystalla* IX 22, 7; *rumpis et ardenti madidus*

---

[1]) His locis, ubi spectare videntur verba poëtae ad dona Saturnalia, nescio an ponam synecdocham cum Friedlaendero, qui illa referri non ad argentum purum, sed ad vasa cuiusvis generis ex eo fabricata censet: *argenti sex scripula Septiciani* IV 88, 3; *argenti potuit pondera quinque puer* (sc. *ferre*) VII 53, 12; *argenti venit quando selibra mihi?* X 14, 8; *argenti libram mittebas* X 57, 1.

[2]) Ut supra synecdocha incerta est, ita hoc loco: *argentum atque aurum facile est* (sc. *mittere*) XIII 48.

crystalla Falerno IX 73, 5; *candida Setini rumpant crystalla trientes* X 13, 5; *qui potius cyathos aut quis crystalla tenebit?* X 66, 5; *dum tibi Niliacus portat crystalla cataplus* XII 74, 1. — Neque ab his ea discrepant, quae ad res gemmatas pertinent, velut exstat: *te potare decet gemma, qui Mentora frangis* XI 11, 5, i. e. poculis e gemmis factis vel gemmis ornatis; adiunge *hac licet in gemma* (sc. *bibas*) XIV 110. Eiusmodi est, quod eadem vox idem significat ac 'figurae vitri modo tralucidae': *gemma vis ludere, vincor* XII 40, 3; aut integumenta vitrea torno trita: *condita perspicua vivit vindemia gemma* VIII 68, 5; *sic prohibet tenuis gemma latere rosas* IV 22, 6; aut baca: *cedet Erythraeis eruta gemma vadis* VIII 28, 14. Sub eandem rationem haec quoque cadunt: *gemma vel a digito vel cadit aure lapis* XI 50, 4, i. e. anulus gemma ornatus; *tuta mea fiet sed tua gemma fide* XIV 123; *nunc ad luciferam signat mea gemma Dianam*, i. e. anulus signatorius X 70, 7.

Huc spectat illud quoque, quod anuli magno pretio, qui sardonychibus, zmaragdis, aliis gemmis ornantur, ex iis capiunt nomina: *sardonychas, zmaragdos, adamantas, iaspidas uno versat in articulo Stella, Severe, meus* V 11, 1 et 2, quae quasi per hyperbolam dicta esse supra docuimus. Sub eandem rationem praeterea cadit, quod vas onychinum appellatur onyx: *unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat* VII 94, 1; *profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx* XI 50, 6. Addas quaeso: *nos bibimus vitro, tu murra* IV 85, 1, i. e. vasis vitreis, tu murrinis.

Deinde transeamus ad vocabula marmoris, quod idem valet ac crustae marmoreae: *Torquatus nitidas vario de marmore thermas* (*extruxit*) X 79, 3, aut solum marmoreum: *marmora calcantem frigidiora gelu* XII 60, 12. Quae vox designat praeterea lapidem miliarium aut monumentum. Illa autem vis ei subiecta est his locis: *octavum domina marmor ab urbe legit* IX 64, 4; *rus marmore tertio notatum* VII 31, 10; per hanc intelleguntur hi versus: *alta . . .*

Licini marmora pulvis erunt VIII 3, 6; *noli nobile praeterire marmor* XI 13, 2, *marmora Messalae findit caprificus* X 2, 9; *marmora parva quidem, sed non cessura* X 63,1; *brevem titulum marmoris huius ama* X 71, 2; *hoc sub marmore Glaucias humatus* VI 28, 4. Similiter *ebur* idem declarat quod alea: *nostrum . . . passat ebur*: XIII 1, 6. — Addantur statim res ex alia materia fabricatae, quae nondum allatae sunt. Pro calceo enim scriptum videmus *alutam*: *coccina non laesum pingit aluta pedem* II 29, 8;[1]) *rupta . . . pes vagus exit aluta* XII 26, 9[1]); pro tabulis e cera confectis ea ipsa collocatur: *quinquiplici cera* ... *datur altus honos* XIV 4; nec non pertinent ad hoc genus *recensque sella linteisque lorisque* II 57, 6, i. e. sella recentibus plagulis;[1]) sic *linum* significat rete e funiculis linteis confectum *impedient lepores umida lina meos* X 37, 16.

Neque ab his talia abhorrent: *mota salubre purpura venit frigus,* i. e. veste purpurea X 30, 15; *constatura fuit Megalensis purpura centum* (*milibus*), i. e. toga eiusdem coloris X 41, 5; *te* (*librum*) *purpura delicata velit,* i. e. membrana rubens vel purpurea III 2, 10; similiter exstat: *cocco mulio fulget* X 76, 9, i. e. vestimento coccineo.[1])

§ 3.

Nunc denique perveniamus ad ea exempla, quae sub eandem rationem cadentia nondum commemorata sunt. Ac primum quidem afferendum est *pondus*, quod idem valet ac fetus: *dulci sed pondere venter* (*si tumeat*) XIV 151; idem designat etiam inguina: [*servus*] *Iudaeum nuda sub cute pondus habet* VII 35, 4. — Ut illic e proprietate sua intellegitur res ipsa, ita in his: *sustentatque tuas aurea massa*

[1]) Sic intellegit hoc verbum **Georges** in lexico.

[1]) Hoc potius ad synecdocham referimus, quod a sigificatione propria ad translaticiam transeuntes limitem transgredi non cogimur, id quod monemus contra **Fengerum** (l. s. s. pg. 28), qui illud exemplum per metonymiam intellegit.

dapes III 31, 4; [*odit*] *exploratores nubila massa focos* VIII 51, 4; *Neroniana nummularius massa* XII 57, 8, ubi massae voci subiecta est notio vasorum. — Quae hoc loco caseum significat: *Velabrensi massa coacta foco* XI 52, 10. — *Cuspis* appellatur veru: *spumeus in longa cuspide fumet aper* XIV 221; vel hasta: (*qui*) *Aetola cecidit cuspide, talis erat* XIII 93; *cuspis emicet culo* XI 100, 4; cuspides ponuntur pro dentiscalpiis: *cuspides . . . lentisci* III 82, 9; similiter XIV 22.

E proprietate vel qualitate sua *area* nominatur tum calvitium, tum vestibulum: *in longa pilus area notatur* V 49, 7; *caede iuvencorum domini calet area felix* XIV 4. — *Rosa* praeterea pro corona e rosis conexa exstat: *sutilis aptetur decies rosa crinibus* IX 93, 5. — Deinde scriptum videmus: *quisquam picta colit Spartani frigora saxi* I 55, 5, i. e. marmoris, similique modo: *accipe non Pario nutantia pondera saxo* I 88, 3; quibus addantur statim: *imposuit qui sua membra* (i. e. *manum*) *focis* X 25, 2; id supra attulimus; — *nullae sic tibi blandientur undae*: VI 42, 3;[1]) *quondam laudatas quocunque libebat ad undas* (sc. *currere* VI 43, 7), ubi undae eadem ratione intelleguntur ac balneum.[1])

§ 4.

Sic perspicuum est omnia illa, quae attulimus, ubi qualitas vel proprietas pro re ipsa ponitur, alteram quam statuimus synecdochae speciem ostendere. Quae etiam eiusmodi est, ut a poëtis animalia eadem ratione significentur. Qualia quidem pauca apud Martialem occurrunt. Neque enim alia excerpsimus nisi haec: *alitis,* i. e. anseris IX 31, 8; *carnificem nudo pectore poscet avem* (sc. *Prometheus*), i. e. vulturem XI 84, 10; *Cinyphio . . . marito,* i. e.

[1]) Haec eam ob causam hoc loco adicimus, quod poeta non solum de balneo, verum etiam de undis corpus humanum reficientibus eique salutaribus cogitat.

hirco VII 95, 13; *mollia Phrixei secuisti colla mariti*, i. e. arietis XIV 211; *nido — alitis superbae*, i. e. aquilae VI 55, 2;[1]) similiter exstat: *nidos olet alitis superbae*[1]) IX 11, 4; porro adiungas haec: *galbina decipitur calamis et retibus ales* XIII 68,[1]) i. e. galbula; *alitis eximiae cauda* XIV 67, i. e. pavonis;[1]) *Aeolium ... pecus*, i. e. arietem Aeoli VIII 28, 20;[1]) similiter: *Hesperium — pecus*, i. e. oves Hispanicas IX 61, 4.[1])

Ac iam ab animalibus ad animantes, qui rationis participes sunt, transeuntibus, velut homines nominantur *mortales*, nobis eiusmodi exempla apud Martialem pauca occurrunt; statuimus enim synecdocham, ubi dii appellantur *superi* I 103,1; IV 44, 8; VIII 50, 2; IX 3, 1; aliis locis. *Mares* praeterea significant pueros: *tantaque sidereos vix capit aula mares* IX 36, 10.

Cap. VIII.

§ 1.

Restat, ut ea, quae ad illustrandam q u a r t a m synecdochae formam e Martialis carminibus excerpsimus, afferamus. Quo in capite eundem ordinem ac supra servabimus. Ac primum quidem de rebus inanimis, deinde de animalibus dicamus. Exordium autem sumat haec disputatio a v e n t o r u m nominibus. Pro iis enim scriptum videmus *Notos*, qui universe pro illis collocati sunt: *rapiant celeres vela negata Noti* IX 38, 6; addas quaeso: *Pompeiano vela negata Noto* XI 21, 6. Deinde transeamus ad ea vocabula, quae aliquem liquorem significant. Ac primum quidem a q u a vocatur *unda*: *decidit hiberno praegravis unda gelu* IV 18, 4; *quam dederis nostris, Auguste, penatibus undam* IX 18, 7; *multum ... refert, a fonte bibatur quae fluit, an pigro quae stupet unda lacu* IX 99, 9 et 10. Eadem vox

[1]) Illa exempla nescio an finitima ac propinqua sint: tropo circumlocutionis vel, ut Graeci dicunt, periphrasis.

liquorem cuiusvis generis hoc loco significat: *pallida ... rubri diluit unda croci* (sc. nebulam) VIII 33, 4. Adice quod eadem vox exstat pro imbre: *nocet artifici ventus et unda nihil* IX 38, 8; *[quid] puerum prohibes divitis imbre lacus?* XI 96, 2. — Deinde a q u a designatur sive *rore* sive *fonte*: *sicca domus queritur nullo se rore foveri* IX 18, 5; *quod virenti fonte lavit Eurotas* (sc. *marmor*) IX 75, 9.[1]) Post v a d a eadem ratione ita intelleguntur, ut pro f l u c t i b u s videantur exstare: *Vaterno Rasinaque pigriores, quorum per vada tarda navigantes* III 67, 2 et 3; *mersus ... vadis* IV 22, 7; *parvae vada pura Tvetonissae* IV 55, 22; *non Phoebi vada principesque Baiae* VI 42, 7; *Erythraeis eruta gemma vadis* VIII 28, 14.

Ac nunc perveniamus ad rem per eandem synecdochae formam intellegendam, quae aquis pellitur. Exstat enim apud Martialem *ratis* pro n a v i: *credidimus ... ratem* l. spect. 26, 4; *parat saevis ratibus fera proelia Nereus* l. spect. 28, 7; *nec mersa est pelago, nec fuit ulla ratis* IV 66, 14; *mercibus extructas obruet unda rates* V 42, 6; *sanctior est salva parva tabella rate* VII 19, 6; *dispersa rate tristibus procellis* IX 40, 6. — Eadem ratione *aes* idem est ac m e t a l l u m cuiusvis generis: *fiet vario sordidus aere sinus* V 16, 8. Neque ab illo exemplo abhorrent haec: *toxica ne possent saeva nocere sibi* V 76, 2; *per longas toxica saeva vias* (sc. *mittis*) X 36, 4. — Quam sub rationem cadit, cum s a x u m *marmor* appellatur: *lassi marmora Sisyphi videbit* V 80, 11. Eodem modo praeterea *gemma* universe exstat pro l a p i d e vel c a l c u l o: *hanc lucem lactea gemma notet* VIII 45, 2; *Gaius hanc lucem gemma mihi Iulius alba* (sc. *signat*) XI 36, 1.

[1]) L i n d s k o g (pg. 20) id per metonymiam intellegit, nos per synecdocham. Quali autem argumento nitamur, iam supra docuimus.

§ 2.

Quoniam de rebus diximus, iam ad homines transeamus. Ac primum quidem ad maiores significandos hae voces inveniuntur: *proavos atavosque refers et nomina magna* V 17, 1; *cuius prisca graves lingua reduxit avos* VII 47, 2; *sed, lances ferat et scyphos avorum* VII 72, 4; *sanctorum nobis miracula reddis avorum* VIII 80, 1; *quem potes inter avos iam numerare tuos* IX 37, 8; *mirator veterum senex avorum* X 87, 15; *Maecenas, atavis regibus ortus eques* XII 4, 2; eodemque modo maiores universe patres appellantur: *si redeant veteres, ingentia nomina, patres* XI 5, 5; *trita patrum labris et tonso pura ministro* XI 11, 3. Tum Martialis utitur *nuribus* omnino pro mulieribus: *quando erit ille dies quo .... omnis lucebit Latia culta fenestra nuru?* X 6, 3 sqq.; *inter Latias gloria prima nurus* IV 75, 2; *Romanam deceat quam* (sc. gloria) *magis esse nurum* XII 21, 8; *delicias Cosmi vos redolete, nurus* XIV 59.

Nunc transeamus ad nomina propria. Ac primum quidem nescio an VII 30, 4 exstet *Indus* pro hominibus nigri coloris oriundis ex iis terris, quae spectant ad orientem, velut Aethiopes. Denique ea omnia afferamus, quae praebent pro iis omnibus, qui iisdem moribus insignes sunt, singulos, velut exempli causa loco virorum constantium ponuntur, qui antiquissimis temporibus animi ingeniique indole eminuerunt,[1] Curii ac saepius coniuncti cum Fabiis Fabriciisque et cum Numa ac Tatio: I 24, 3; VII 58, 7; VII 68, 4; IX 27, 6; IX 28, 4; XI 5, 7 sqq.; XI 104, 2. Nec differunt haec: *tunc me vel rigidi legant Catones* X 19, 21; *Pisones Senecasque Memmiosque et Crispos mihi redde, sed priores* XII 36, 8, id quod supra commemoravimus. Sic pro viris fortitudine excellentibus nominantur: *Sullas Mariosque Muciosque* VI 19, 7. Nec aliter dicta sunt IX 47, 1, quo loco Martialis: Pannychus, inquit,

[1]) De his supra exposuimus.

usque *Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas illudit*, i. e. omnes Stoicos et Academicos, quorum imagines videntur hirsutae et incultae, cum ipse barba promissa gravis sit. Et ut illic exempli causa philosophi cuiusdam generis nominantur, ita hic collocantur similiter: *sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones* VIII 56, 5; *Nasones Vergiliosque vides* III 38, 10; *quid Varios Marsosque loquar ...?* VIII 56, 21; atque etiam hoc non discrepat: *Phineas invites, Afer, et Oedipodas* IX 25, 10.

Cap. IX.

§ 1.

Hactenus de Martialis epigrammatum synecdocha: copiam eius, quam potuimus, sumus persecuti. Nunc, num etiam in hoc tropo excolendo multum operae ac laboris consumpserit poëta, quaeratur. Quam quaestionem proponi non miremur, si cogitemus Martialem, quod quidem attinet ad metonymiam, ingeniosissimum fuisse atque eam tam libere usurpavisse, ut nemo eorum, qui antecesserunt, eum adaequet.[1]) Cuius tropi audaciorem usum ut illustremus, liceat nobis pauca afferre. Sic apud Martialem scriptum videmus: *nec tibi mitrarum nec sit tibi barba reorum* II 36, 3, quo versu ii, qui mitras ferunt, metonymice significantur. Praeterea conferas quaero *Ligurum-saxa* III 82, 22, ubi illa audacter posita sunt pro vino, quod ibi crescit. Ac similiter exstant *concisa palus* XIV 160 pro iuncis concisis, *Massiliae fumos* XIV 118 pro vino Massiliensi fumoso. Qualia possumus permulta persequi, sed ea ipsa, quae attulimus, ne longius aberremus, satis esse censemus. Quam ob rem cogitantibus Martialis metonymiae magis

[1]) Id, quod dicit O. Weise (Charakteristik der lat. Sprache[3] Leipzig 1905 pg. 89) poetas Latinos, ubi hoc tropo utuntur, non excellere magna ingenii vi, ad hunc certe poëtam referri non potest.

excolendae summam operam tribuisse, synecdocham quasi neglexisse videri possit. Quod tamen falsum esse hoc capite ostendatur.

§ 2.

Ac primum quidem monendum videtur esse naturam huius tropi eo ipso a metonymiae vi differe, quod ille multo dilucidior ac magis perspicuus est quam haec. Unde patet singulos tropos per synecdocham intellegendos eo artificiosius inventos atque usurpatos esse, quo magis insit illa perspicuitas. Quanquam hoc non tam ad eas duas formas pertinet, de quibus ad extremum exposuimus, quam ad primam, ubi pars pro toto aut totum pro parte ponitur. Quam partem vir doctus huius aetatis,[1]) qui in praeceptis artis rhetoricae tractandis multum operae collocavit, dicit necesse esse ut inter omnes eas quae e toto excellant, gravissimam esse perspicuamque, ita eam, quae ratio intercedat inter partem et totum aut contrarium in modum, summo colore illustrare oportere. Qualis ubi non sit, synecdochae deesse illam perspicuitatem. Ille autem usus num exstet apud Martialem si quaerendum esse nobis videtur, respondere in hanc sententiam cogimur ab hoc poëta eadem praecepta, quae dat ille recentis aetatis existimator gravissimus, egregie esse observata.

Ordiamur igitur, si placet, a rebus, quas oculis cernimus. Legimus enim IV 44, 3: *haec iuga quam Nysae colles plus Bacchus amavit.* Ex eo autem, quod colles iugis opponuntur, haec montem totum, i. e. *Vesbium* (v. 1), significare patet. Ea igitur ipsa ante oculos ponuntur, ut melius cogitatione satyros quasi in iis versantes compre-

[1]) Cfr. W. Wackernagel (Poetik, Rhetorik, Stilistik^{3} Halle 1906 pg. 519): Dieser Teil muß unter all den Einzelheiten, die sich an dem Ganzen unterscheiden lassen, der wichtigste und hauptsächlichste sein, muß Wesen und Zweck des Ganzen so recht eigentlich charakterisieren.

hendamus, qui v. 4 nominantur. Deinceps de illis tropis, per quos intellegitur navis et qui fiunt per puppis et carina, dicendum est. Hac autem parte potissimum illa, qua Argonautae per mare vecti sunt, illustratur. Sic exstant apud Martialem: *haec fuit ignoti prima carina maris* VII 19, 2; *primae dominus levis carinae* XI 1, 12; *Argoa . . . carina* XIII 72, 1. Qua de causa illo modo navis nominetur, facile est intellectu; nam carina excogitata et exstructa non fuit difficile illam aedificare totam. Puppis autem X 51, 10 e medio tollitur: *qui videt hinc puppes fluminis, inde maris,* velut dicatur illa ipsa oculos eius, qui in mari vultus defigit, paulatim effugere. Similiter exstat: *scis, quota de Libyco litore puppis eat* IX 35, 8. Nunc transeamus ad ea verba, quae solent poëtae ponere pro domo, *tectum* et *limen.* Quod quam bene quadret in l. III 5, 5 iam supra intelleximus. Nec ab illo discrepat hoc: *abstulerat miseris tecta superbus ager* (l. spect. 2, 8), quae verba spectant ad Neronem, qui, ut domum regiam sibi aedificare posset, partem urbis exussit. Qua de causa autem *tecta* nominentur, e sermonis contextu perspicuum est; nam illa defendunt homines a ventis tempestateque. Et similiter legimus: *nec nocuit tectis ignis* IV 66, 13: si enim domus ardet, e fastigio eius flammae erumpunt. Atque etiam e versu XI 81, 2: *iacet in medio sicca puella toro,* quae ratio inter partem et totum intersit, facile intellegi potest. Nam in eo ipso homines accubant, cum in lecto dormiunt. Relinquitur, ut de iis verbis exponamus, quorum significationem minus contemplando quam cogitando per synecdochae tropum intellegimus, in quibus etiam illa perspicuitas inveniri potest, velut cum dicitur: *duxit . . . aestates synthesis una decem* IV 66, 4. Cuius versus sententia, ut pro *aestatibus* intellegamus 'annos', postulat. *Aestates* autem sunt nominatae, quia melius quadrant in synthesim, quo vestimento, cum leve esset, calidioribus anni temporibus Romani induti sunt. Sed alio loco (III 36,7):

hoc per triginta merui, Fabiane, Decembres, eligit hunc mensem ad totum annum significandum, ut pericula, quae subeunda fuerunt, describat. Nam December ab antiquis atrocissimus habebatur. — Ac poëtae, ut natura gaudent, ita per synecdochae tropum ad animos legentium delectandos et excitandos praecipue res magnitudine et excelsitate insignes illustrant, velut exstant haec: *videt Augusti Flavia templa poli* IX 34, 2; *celsi lucida signa poli* IX 71, 8; *Stymphalidas astris* (sc. *Alcides abstulit*) IX 101, 7.

Ex his igitur exemplis, quae ratio inter totum et partem intercedat, a Martiale dilucide ante oculos proponi patet. Interdum enim verba eo modo eliguntur, ut, utrum proprie an translate illa intellegenda sint, dubium possit esse. Qua re illum in poësi cum ingenio versatum esse evincitur. Qui cum verba sententiae accommodet, a plerisque eorum, qui aetate argentea quam vocant ad poësim multum studii contulerunt, eo inprimis differt, quod non tam arte vere oratoria quam poëmatum argumento animos legentium delectat. Quae quidem res ei gloriae vertenda est, praesertim cum reliqui fere poëtae, qui eius temporibus fuerunt, dummodo doctrina rhetorica excellerent, gloriae non vere poëticae studuerint, sed saepius inanes voces fuderint.[1]

§ 3.

Nec vero Martialem artem oratoriam neglexisse ex eo elucet, quod non solum synecdocham Vergilii, clarissimi

[1] Quanta auctoritate ars rhetorica apud Romanos usa sit, nos docet Ovidius, cuius nonnulla carmina secundum rhetorum praecepta esse composita tota nemo negare potest, Lucanus, de cuius arte scribendi Quintilianus (X 1, 90) sic exponit: *ardens et concitatus et sententiis clarissimus, et ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poëtis imitandus,* Statius, cuius Silvae illum se totum studiis rhetoricis tradidisse demonstrant (cfr. Lohrisch, de Papinii Statii Silvarum poëtae studiis rhetoricis Hal. Sax. 1905).

omnium poëtarum, qui Augusti temporibus fuerunt, suam fecit, sed etiam nova illius tropi exempla excogitavit. Quibus de rebus liceat paulo uberius ac copiosius dicere. Qua in disputatione eam rationem sequemur, ut primum ea verba afferamus, quae per synecdocham intellegenda apud Vergilium idem valent atque apud Martialem, deinde, ut ea omnia congeramus et sub uno aspectu ponamus, quorum significatio apud hunc vel eius aequales latius pateat quam apud illum.

Vergilium autem ex omnibus Augusti aetatis aequalibus nos elegisse mirum non sit, cum illum posterioribus temporibus diu apud rhetores permagna auctoritate usum esse et in eorum scholis permultum valuisse omnes concedant. Sic Claudius Donatus: *si Maronis*, inquit, *carmina competenter attenderis et eorum mentem comprehenderis, invenies in poëta rhetorem summum.* Atque Annius Florus dialogo notissimo, utrum hic magis orator an poëta habendus esset, quaestionem proposuit. Quo factum est, ut eius libris illi, qui poëmata condiderunt, apparatu quasi poëtico uterentur et ut Quintilianus permulta schematum et troporum exempla ex illius carminibus excerperet.[1]

§ 4.

Atque ut inde haec disputatio proficiscatur, unde supra, commemorandae sunt eae res, quae spatium significant. Occurrunt autem nobis *polus* et *sidera*, quibus a Vergilio eadem vis atque a Martiale subiecta est[2]; significant enim ea caelum A. I 608, III 589, V 721, II 251, tum sidera A. I 93, III 243. Ac Martialem Vergilii rationem

[1] Cfr. Kroll (Unsere Schätzung der römischen Dichtung; Neue Jahrb. für das klass. Altert. usw. IV, 1903 pg. 22 sqq.).

[2] In enumerandis Vergilii versibus secuti sumus editionem in usum scholarum a Ribbeckio curatam (Lipsiae 1904); nec vero omnia, sed graviora exempla excerpsimus.

dicendi secutum esse vel ex eo apparet, quod ab hoc astra vel sidera usurpantur et hyperbolice ad altitudinem satis magnam intellegendam et in locutionibus, quibus per translationem gloria immortalis significetur. Haec habes exempla: *turrim . . . sub astra* (sc. *eductam*) A II 460; *Daphnim . . . tuum tollemus ad astra* B. V 51; *ferent ad sidera cycni* B. IX 29.[1])

Praeterea eodem pertinet, quod ambo poëtae *iugo* et *glaeba* eadem ratione utuntur: *bacchatam . . . iugis Naxum* A. III 125, i. e. montibus; *terra . . . potens ubere glaebae* A. I 531, i. e. agri fertilis. — Ut autem ex illis similitudo quaedam, ita ex eo elucet, quod Vergilius pro populo toto quandam gentem ponere solet. Sic exstant *Ausonidae* pro Italis A. XII 121, ponuntur praeterea *Argivi* pro Graecis A. I 40; *Hiberi* pro Hispanis G. III 408; *Argi* cum *Mycenis* coniuncti idem sunt ac Graecia A. VI 838.[2])

Atque alterum alterius vestigia secutum esse vel inde apparet, quod iam apud Vergilium illius synecdochae usum, quam supra nominavimus attributivam, quanquam rarius, invenimus, quod his comprobetur: *Ausonius* idem valet atque Italicus A. III 171, IV 349, VI 807, III 378; *Hiberus* pro Hispanicus collocatur: A. IX 582, XI 913; *Parrhasius* pro *Arcadius* A. VIII 344, XI 31; *Argolicus* ponitur pro Graecus A. II 78, II 177, III 637, V 314; idem significat *Argivus*: A. I 650, II 254, II 393, XII 544; *Massylus* exstat pro Numidicus: *Massyli — equites* A. IV 132, *Idumaeus* idem est ac Palaestinensis G. III 12; eodemque modo *Oenotria tellus* collocatur pro Italica A. VII 85. — Iam vero ad illa verba accedamus, quibus per commutationem mare designatur, quod *fretum* aut *undae* nominatur. *Fretum* enim scriptum videmus: A. I 607, V 627, X 147 et 210;

[1]) Praeterea apud Vergilium pro caelo exstat *axis*: A. IV 482; VIII 28.

[2]) Cfr. Moore, l. s. s. pg. 12.

G. II 503; B. I 60. *Unda* autem exstat his locis: A. XII 803; G. I 31. Eadem occurrit nobis G. III 349, ubi ponitur pro lacu.

Nec solum illa eandem Vergilii rationem dicendi ostendunt, sed etiam haec, quibus *domus* vel *domus regia* aut templum significantur, quorum aedificiorum insignes partes ab illo usurpantur: 1. *limen*: A. III 347, VI 563; G. II 511; conferas praeterea A. II 321, III 91, III 155, III 371, alibi. 2. *tectum*: A. I 425, I 632, I 725, I 730, VII 168, VII 500. 3. *culmen*: *culmina perque hominum volvantur perque deorum* A. IV 671.

Nunc dicendum est de illis rebus, quibus homines ad vehendum utuntur. Pro navi enim ponuntur a Vergilio *carina* et *puppis*. Illa exstat A. II 23, II 179, IV 46, VII 431; G. I 303; haec ponitur A. I 69, II 256, V 198; adice V 663, X 80, X 156, X 171, X 302.[1])

Altera praeterea res, quae huc pertinet, est currus, pro quo eadem ratione atque apud Martialem exstant *rotae*: A. I 147, X 594, XII 533, XII 671.[2]) Adde *axem*, qui invenitur A. V 820. Porro adicias *torum* et *spondam*, quae verba idem valent ac lectus[3]): A. VI 220, XI 66; A. I 698.

Quibus cognitis accedamus nunc ad eos tropos, qui ad tempus referuntur: pro toto anno *aestas* collocatur A. I 265 [I 756], V 626; G. III 190. Praeterea *bruma* exstat pro hieme: A. II 472; G. III 321; ibid. 443. Nec minus *vitis*, ubi pro palmite ponitur, per synecdocham intellegenda est: *populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho* B. VII 61.

Atque haec quidem hactenus; transeamus nunc ad animalia. Ac primum quidem dicendum est de iis tropis,

[1]) Nec vero solum haec exstant apud Vergilium, sed etiam *prora* (A. X 223) et *trabs* (A. III 191).

[2]) Cfr. Moore, l. s. s. pg. 12.

[3]) Per synecdocham intelleguntur a Vergilio etiam *murus* vel *moenia*, ubi exstant pro urbe: A. II 252, II 298, II 328, IV 359, VII 409.

qui ad bestias referuntur, ad quorum corpora significanda ille tergum ponere solet: *magnorum horrentia centum terga suum* A. I 634 sq.; cfr. A. II 219, VII 20.[1]) Huc etiam pertinet, quod pro visceribus collocantur *fibrae*, qua dicendi ratione Martialis quoque utitur: A. VI 600, X 176; G. III 490. Reliquum est, ut afferamus ea, quae ad hominem pertinent, in quo significando et exornando nonnulla exempla versantur. Pro illo enim toto apud Vergilium eadem ratione atque apud Martialem caput invenitur: *infandum caput* A. IV 613; conferas praeterea A. IV 354, IX 496. Deinde *manus* collocatur A. IX 321.[2]) — Atque etiam a poëta Augusti aetatis partem membri corporis humani pro illo ipso positam videmus; sic exstant pro inguine *venter*, pro capite *os*, pro eodem *vertex*: *⟨hasta⟩ ima . . . sedit inguine* A. X 785 sq., *simul ora virum praefixa movebant* IX 471; *vertitur arma tenens et toto vertice supra est* VII 784.

Satis dictum esse arbitramur de illis verbis; deinceps, ut supra, afferenda sunt ea, quae contrariam huius speciei synecdochae formam praebent. Cuius usum, cum totum, quod pro parte ponitur, hanc non ita perspicuam reddat, et apud Martialem et apud Vergilium rarius reperiri haec docent. *Pontus* et *aequora* et *pelagus* exstant pro fluctibus vel undis A. I 114, III 197, I 246. Pro saxo collocatur *mons* A. XII 687, *thalamus* pro lecto A. VII 253. Pro uno filio ponuntur *genus* (A. VI 792), *gens* (X 228. XI 305), *stirps* (III 326), *progenies* X 471, aliis locis. Denique huc referendum videtur esse, quod a Vergilio pro Italicus collocatur *Hesperius* A. II 781, VI 6. Quae cum ita sint, satis docuisse videmur hac synecdochae specie Martialem usum esse eadem fere ratione ac Vergilium. Sed esse apud

[1]) Cfr. Moore, l. s. s. pg. 12.

[2]) Hac dicendi ratione saepissime Silius Italicus utitur: cfr. Punic. XII 351, IV 406, V 169, 195, 269, ubi pro hominibus *dextrae* inveniuntur.

illum quae latius pateant, nemo est qui neget. Nam ut illustria sumamus, *Mareotis* et *Pharus* Aegyptum significant, exstant pro domo *atrium*, pro porticu *columnae*; ad totum annum designandum usurpantur *bruma* et *autumnus*, quam dicendi rationem apud Vergilium non invenias. Kalendae apud Martialem idem sunt ac *mensis* et *messis* totum annum denotat, ab eodem praeterea collocantur pro statua equestri *equus*, pro vinea *palmes*, pro elephanto *dens*, pro equo *ungula*, pro matribus *mammae*, pro corpore *latus*. Nec minus hoc loco commemoranda sunt ea, quae ad metonymiam quoque referri possunt, velut inveniuntur pro mulieribus lascivis *cunni*, pro virginibus vel meretricibus iidem, pro helluone *gula*, similia. Atque etiam rarius apud Vergilium occurrunt adiectiva per hanc synecdochae formam intellegenda, velut *Tartesiacus* idem valet ac Baeticus, *Odrysius* et *Geticus* pro Thracius, *Gangeticus* pro Indiacus ponuntur, *Mareoticus, Paraetonius, Memphiticus, Memphitis, Niliacus, Nilotis, Pharius* idem significant atque Aegyptius. Quorum non nulla tam singulariter dicta sunt, ut, quin Martialis ingenio debeantur, dubitari non possit; sed de his infra disputabimus.

Videamus nunc, num in alterius speciei synecdochae usu eadem similitudo apud utrumque poëtam reperiatur. Atque ut ordiamur a rebus, quarum vis normis excellentibus, quae in iis sunt, definitur, monendum videtur esse *orbem* rarius apud Vergilium idem valere atque orbem terrarum vel terram vel mundum. Haec autem habes exempla: A. VII 224, XI 257, XII 708. Nec vero notio speculi nec mensae rotundae subiecta est a Vergilio huic vocabulo.[1]) *Aequor* autem saepius pro mari a Vergilio ponitur: A. I 511, IV 524; G. I 327, permultis aliis locis.

Nunc transeamus ad ea verba, quae pro re ipsa materiam, e qua illa confecta est, nominant. *Robur* enim

[1]) *Orbis* idem est atque orbis solis G. I 459.

idem significat ac clava A. VIII 221.[1]) *Harundo* praeterea iam apud Vergilium idem valet ac sagitta aut tibia. Illam autem vim huic verbo subiectam esse ex his patet: A. IV 73, V 525, V 544, VII 499; pro tibia autem illa vox rarius collocatur: B. VI 8. *Calami* verbi vis eadem est: B. I 10; B. II 34; pro sagitta praeterea idem ponitur: B. III 13; A. X 140. Huc pertinet, quod *fistula* exstat pro tibia: B. III 25, VII 24, X 34. Accedamus nunc ad *ferrum,* quo verbo triplices res in Vergilii carminibus significantur: 1. *culter* G. II 301, II 450, III 468. 2. *gladius* A. I 350, II 510, II 614, II 671. 3. *sagitta* vel *iaculum* vel *hasta* A. III 241, IV 71, IX 410.[2]) Nunc vero ad res transeuntibus, quae ex metallis fabricantur, *aes* occurrit, cuius verbi vis eadem fere exstat apud Vergilium. Quod significat aënea arma: *aera micantia cerno* A. II 734, aut cymbala: *Corybantia ... aera* A. III 111, aut signa aënea: *excudent alii spirantia mollius aera* A. VI 847. Rarius autem *argentum* apud Vergilium quam apud Martialem idem valet ac vasa argentea. Haec excerpsimus: A. I 640, X 527. Res autem magis variae *auro* denotantur. Quod exstat pro vasis aureis: A. I 640; pro poculo: A. I 739; idem pateram auream significat: A. III 355, VII 245.[3]) *Gemma* praeterea collocatur pro poculis gemmatis G. II 506. *Plaga* idem est ac rete A. IV 131. *Lini* voci eadem notio subiecta est: G. I 142. *Purpura* denique exstat pro vestimento purpureo G. II 495. Huc praeterea pertinet, quod iam apud hunc cuspis idem est atque hasta A. XI 41.

Ut ad cetera progrediamur, saepius apud Vergilium a n i m a n t e s per hanc synecdochae speciem intelleguntur. Haec habes exempla, quae etiam apud Martialem inveni-

---

[1]) Idem vocabulum pro equo collocatur: A. II 230, II 260; pro hasta X 479.

[2]) *Ferrum* exstat pro calamistro: A. XII 100; pro sera A. I 293.

[3]) Verbo auri praeterea designantur a Vergilio iugum A. V 817; frenum A. VII 279; fibula A. XI 771, similia.

untur, *ales* pro aquila occurrit A. I 394, XII 247; *pecus* idem valet atque oves A. IX 341; G. III 554. — Pro diis ponuntur *superi*: A. I 4, II 141, 659; A. III 2, 600.[1]) Ex iis igitur, quae exposuimus, elucet alteram synecdochae formam usitatiorem esse apud poëtam aetatis argenteae quae vocatur, quam apud illum qui fuit Augusti temporibus. Cuius rei causa repetenda est ex eo, quod ad hoc caput spectant verba, quorum vis proprietate vel qualitate iis insita definitur. Nam quo maius spatium lingua Latina percucurrit, eo magis varias res illis denotatas esse apparet. Nec vero cogitamus de verbo *auri,* cui quam maxime variae notiones iam a Vergilio subiectae sunt, sed de verbis *aeris* et *argenti,* quorum illud quanto latius pateat apud Martialem, supra exposuimus. A Vergilii ratione dicendi praecipue abhorret, quod idem vocabulum ponitur pro nummo, quae notio apud illum saepius occurrit, quia nummi antiquissimis temporibus a Romanis ex aere fusi sunt. Rarius porro animadvertas *argentum* idem valere ac vasa ex illa materia confecta apud Vergilium. Omnino enim solent poëtae aetatis argenteae quae vocatur saepius pro re ipsa materiam afferre, quae sermonis consuetudo ab illo, quanquam non prorsus deest, tamen rara videtur esse. Apud quem collocatur *ebur* pro statuis deorum eburneis G. I 480, idemque pro tibia eburnea G. II 193; *gemma* pro poculis gemmatis G. II 506. Nondum autem ponitur a Vergilio *sardonyx* vel similes res pro anulo, qui illis ornatur, non *onyx* pro pyxidicula ex onyche confecta, *marmor* non idem valet ac monumentum marmoreum aut lapis miliarius, non collocatur *aluta* pro calceo, *citrum* pro

---

[1]) Commemoravimus autem, ut propositum erat, hoc loco ea, quae duobus poëtis communia sunt. Apud Vergilium autem plura exstare nemo est, qui infitietur; sic homines nominantur *mortales,* dii *caelestes, caelicolae* similiter. Cfr. B r a u m u e l l e r l. s. s. pg. 23 sqq., Berlin 1882 pg. 11 sqq.

mensa citrea, *crystalla* pro poculis ex ea materia fabricata; sed de hoc infra pluribus.

Ac vel maiorem similitudinem praebet tertiae synecdochae speciei usus. Sic collocatur *notus* pro vento: *atque utinam rex ipse noto compulsus eodem* A. I 575. Conferas praeterea: A. III 268, A. V 512.[1]) Saepissime, ut ad alia accedamus, pro aqua vel aquis ponuntur *ros* A. VI 230: *spargens rore levi, unda* A. III 384; *vadum* vel *vada* A. III 557, V 158, ibid. v. 615; VI 320. — Huc spectat praeterea, quod pro navi *rates* collocatur a Vergilio: A. I 43; III 192; IV 53. — Nunc transeamus a rebus ad animantes. Quam ad synecdochae formam referendum est, quod pro maioribus exstant *patres*: A. I 7, ibid. v. 641, II 715, aliis permultis locis, aut *atavi* VII 56; VII 474, XII 529, aut *avi*: A. VII 56; VII 177; VII 412; XII 649.

Per *nurus* praeterea A. II 501 non solum hae ipsae, sed etiam filiae designantur: *vidi Hecubam centumque nurus Priamumque per aras.* Atque etiam haec apud Vergilium occurrunt, quae per diversos tropos intellegi posse a nobis supra expositum est, velut *Paris* A. IV 215 exstat, ut per illum is describatur, qui pactam coniugem eripuit, i. e. illo loco Aeneas. Huc adde A. VI 89, ubi scriptum videmus: *alius Latio iam partus Achilles,* ubi Achilles idem valet ac vir fortis; spectant autem illa verba ad Turnum.

§ 5.

Qua ratione Martialis Vergilii synecdocham fecerit suam quoniam exposuimus, sequitur, ut eos tropos colligamus, qui soli illi poëtae cum ceteris communes sunt, qui eiusdem aetate fuerunt. Excipiemus igitur eos, qui quanquam apud Vergilium non exstant, tamen proprii sunt

[1]) Pro ventis cuiusvis generis a Vergilio praeterea aliae species afferuntur: *austri* A. I 51; *zephyri* A. IV 562; X 103; *aquilones* A. IV, 310; *eurus* VIII 223; cfr. Moore l. s. s. pg. 13.

scriptorum, qui Augusti temporibus floruerunt.[1]) Sic pro Aegypto exstat *Pharus* et apud Lucanum (VIII 443): *petimus Pharon arvaque Lagi* et apud Statium (silv. III 2, 102): *nunc regina Phari* . . . Pro Aegyptiacus praeterea collocatur *Paraetonius*, velut apud Statium (silv. III 2, 49) scriptum videmus: *donec tua turbine nullo laeta Paraetoniis adsignet carbasa ripis.* Huc illud quoque spectat, quod *Mareoticus* pro eodem adiectivo usurpatur. Conferas quaeso Statium (silv. IV 6, 102): *saevae Mareoticus arbiter arae.* Apud Lucanum deinde exstat pro Aegyptiacus *Nilotis* (X 142): Nilotis acus.

Ad alia transeamus: *mille columnas* apud Senecam (Phaed. 496 sq.) singulariter scriptum videmus pro domo permultis columnis saepta.[2]) Atque ad totum annum significandum ut Martialis ita Petronius (sat. 89) *messis* vocabulo utitur. Eadem vis praeterea a Manilio (III 607) *brumae* subiecta est: *per quinquagenas complet sua munera brumas.* Pro vinea deinde a Statio *palmes* ponitur (silv. III 1, 147): *Icario nemorosus palmite Gaurus.* Pro pene tum *venam* (apud Persium VI 72) scriptum videmus: *morosa . . . vena.*

Ad alteram synecdochae formam perveniamus. *Orbem* praeter Martialem collocat Iuvenalis pro mensa rotunda (XI 122 sq.): *laetos nisi sustinet orbes grande ebur.* A Persio (III 11) deinde usurpatur *arundo* pro stilo: *iam liber et positis bicolor membrana capillis inque manus chartae no-*

[1]) Velut scriptum videmus *Decembrem* pro toto anno apud Horatium (epod. XI 5): *hic tertius December, ex quo destiti* sc. *Inachia furere;* ep. I 20, 27: *me quater undenos implevisse Decembres,* pro eodem verbo *autumnum* apud Ovidium (met. III 3, 26 sq.); pro domo *atrium* apud eundem (her. XVI 184; met. III 968); pro iuvenibus *mares* apud Horatium (ep. I 1, 64: *maribus Curiis*); pro vellere aureo *aurum* apud Ovidium (met. VII 155, ibid. v. 213); similia. Atque eos tropos omittemus, qui a scriptoribus Vergilium antecedentibus usurpati sunt.

[2]) Gaheis, l. s. s. p. 51.

dosaque venit arundo. Addantur alia, sicut *aes* a poëtis aetatis argenteae, quae vocatur, exstat pro rebus ex illo metallo fabricatis. Quo verbo a Petronio (sat. 22) crotalum designatur: *cum intrans cymbalistria et concrepans aera omnes excitavit.* Huc illud quoque referendum est, quod non solum *zmaragdus* (Sen. Phaedr. 318)[1] aut *sardonyx* (Iuv. VII 143) legitur pro anulo his gemmis ornato, verum etiam pro vasis e crystallo, e murra confectis collocatur materia ipsa. Conferas quaeso Statium (silv. III 4, 58): *hic pocula magno prima duci murrasque graves crystallaque portat.* Pro calvitio praeterea a Celso et Petronio usurpatur *area.* Haec habes exempla: *arearum quoque duo genera sunt . . . haec genera arearum scalpello exasperant* (Cels. VI 4); *nunc umbra nudata sua iam tempora maerent areaque attritis ridet adulta pilis* (sat. 109).

§ 6.

Quibus allatis relinquitur, ut eos tropos congeramus, qui apud Martialem singulariter exstant. Quorum autem hi eminent: *Tartesiacus,* quod idem valet ac Baeticus[2]) (VII 28, 3; VIII 28, 5; IX 61, 1), *sponda,* quae designat lectum, quo mortui efferuntur (X 5, 9). *Equus* praeterea usurpatur pro statua equestri (VIII 44, 6), *dens* pro elephanto (XIII 100), *bucca* pro virgine vel meretrice (III 75, 5, XI 61, 2), *silva* pro fronde (XI 41, 3), *orbis* pro speculo (IX 17, 5), *pila* pro monumento quodam (V 22, 3), *aes* pro tessera aënea (I 26, 4), *aurum* pro corona aurea (IV 1, 5), *marmor* pro lapide miliario (IX 64, 4, VII 31, 10), *marmora* pro crustis marmoreis (X 79, 3), *ebur* pro alea (XIII 1, 6), *linteum* pro plagula (II 57, 6). *Tholo* praeterea singularite ra Martiale

[1]) Graheis pg. 51.

[2]) Postea apud Sidonium *Tartesiacus* idem valet atque Hispanicus (II 364, V 387, XV 156).

vis Mausolei subiecta est[2]) (II 59, 2), *cuspis* idem valet ac veru (XIV 221), aut dentiscalpium (III 82, 9; XIV 22), *lapis* vel *calculus* appellatur gemma (VIII 45, 2; XI 36, 1).

Quorum pauca poëta, ut litteris primus mandaret, re ipsa coactus est. Nam cum mores suorum temporum, quibus Romani luxuria diffluebant et molliter ac delicate vivebant, describeret, fieri non potuit, quin ille ut poëta vera indole praeditus ad res quam maxime varias illustrandas excogitaret novos tropos. Alii autem, quibus idem utitur, velut *equus,* quod exstat pro statua equestri,[1]) *pila,* qua monumentum quoddam designatur,[2]) sunt formati sermone familiari et cotidiano, qui quin ipse quoque, cum res quasi gerantur sub adspectum paene subicere studeat, ad troporum vim aliquatenus valeat, nemo est qui dubitet.

Atque haec quidem hactenus: usum synecdochae, qualis apud Martialem exstat, satis illustravisse videmur. Ex iis autem, quae exposuimus, apparet poëtam multum operae ac laboris consumpsisse in illo tropo excolendo. Quod Martiali gloriae vertendum est, cum synecdochae usus minus varius esse possit quam metonymiae et metaphorae, quod illa pertinet maxima ex parte non ad aliud, nisi ad rationem, quae intercedit inter partem et totum, et, ut ita dicamus, inter genus et speciem.

Omnino autem ex troporum cognitione aliquam utilitatem elici concedendum est. Nam eo demum tempore, cum in omnium poëtarum quasi officinam inspexerimus, cum cognoverimus, quos potissimum tropos et quo quisque modo usurpet, ubi alium cum alio comparaverimus, artem rhetoricam apud antiquos et nascentem et crescentem et adultam possumus ostendere. Ac ne id quidem neglegen-

[1]) Romani enim imperatorum temporibus omnino pro statuis equestribus equos dixisse videntur; cfr. Iordan Topogr. d. St. Rom II pg. 46.

[2]) Cfr. Friedländeri in hunc locum adnotationem.

dum videtur esse, quod dicit Pecz,[1]) ex tropis, quibus poëtarum quisque utatur, perbene perspici posse, quatenus aliqua gens a fera agrestique vita ad humanum cultum civilemque deducta sit. Quid? In metaphora, quam clarissimi inter Graecos poëtae tragici, Aeschylus, Sophocles, Euripides, conformaverunt, nonne quodammodo expressa est facies illorum aetatis? Quibus de causis fructum quendam vel ex hoc libello ad troporum disciplinam redundaturum esse speramus.

[1]) Pecz (Beiträge zur vergleichenden Tropik der Poesie, Berlin 1886, p. 158); cf. praeterea quae disserit de metaphora Bluemner (über Gleichniß und Metapher in der att. Komödie, Leipzig 1891, p. IX).

Typis expressit Robertus Noske, Bornensis.

Vitae descriptio.

Natus sum Gualterus Stietzel Magdeburgensis a. d. XVI. Kal. Apr. a. 1872 patre Ludovico ludi magistro, matre Maria e gente Brinkmann.

Primis elementis litterisque in urbis patriae gymnasio reali institutus a. 1886 in tertiam classem superiorem gymnasii, cui inditum est nomen Guilelmi regis, receptus sum. Inde vere a. 1892 cum maturitatis testimonio dimissus Ienae et Halis Sax. studiis philologicis historicisque operam dedi. Quibus in academiis docuerunt me viri doctissimi Ienenses: Cloëtta, Delbrueck, Eucken, Gelzer, Goetz, Hirzel, Kluge, Liebenam, Liebmann, Lorenz, Schmiedel, H. Stoy, St. Stoy, Schwan; Halenses: Blass, Dittenberger, Keil, Kirchhoff, Ihm, Lindner, Ed. Meyer, Suchier, Uphues, Vaihinger.

Autumno autem a. 1899 facultatem pueros docendi adeptus modo huic modo illi gymnasio attributus sum, ut discipulos erudirem iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, ac primum quidem Magdeburgensi, deinde Guilelmiportensi, tum Stadensi, denique Duderstadensi, ubi in magistrorum ordinariorum numerum receptus sum.

Sed quamquam in scholarum umbraculis desudabam, id quam maxime spectabam, ut in aliquo litterarum genere versarer. Gratias autem ago quam maximas Georgio Goetz, qui et semper fautor studiorum benignissimus mihi fuit et in hac commentatione componenda consilio me adiuvit.